# NOVA POLONICA

EX

COMITIIS GRODNENSIBUS

DE

# LEGATIS

PONTIFICIS MAXIMI

ET

REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ,

*NEC NON*

DE

# JURE PATRONATUS

*ALIISQVE*

AD

HISTORIAM RECENTIOREM POLONIÆ

ET CIVITATIS THORUNENSIS

SPECTANTIBUS REBUS.

Auct. Georg. Petro Schulze
Med. D. et Gymnasii Thorunensis Professore.

COLONIÆ

In Officina Knochiana MDCCXXVIII.

# CONTENTA.

I. *Quid in Comitiis Grodnenſibus contra Legatos Pontificis Maximi & Regis Mag. Britanniæ eſt actum.* p. 2.

II. *Carmen famoſum Regio Principi & Electoratus Saxoniæ Hæredi Varſaviæ oblatum.* p. 13.

III. *Conſtitutio Regni contra Legatum Pont. Max.* pag. 27.

VI. *Epiſtola Legati ad amicum.* pag. 30.

V. *Brevia Pont. Max. ad Poloniæ Regem & Epiſcopos, Regiſque reſponſum.* pag. 40.

VI. *Relatio Hiſtorico-politica de Jure patronatus in Abbatias Regni Poloniæ.* pag. 44.

VII. *Catalogus omnium Senatorum, Officialium & Abbatum Poloniæ Regni.* pag. 153.

VIII. *Oratio Domini Finch, quam igne dignam judicarunt Poloni.* pag. 162.

IX. *Novæ prætenſiones Monachorum Bernhardinorum Thorunenſium.* pag. 167.

E. XXXIV. 165

## §. I.

OMnes & singuli, rerum, in Europa quæ geruntur, non plane ignari, insolita flagrarunt cupiditate cognoscendi, quæ proditura sint in publicum Decreta ex Comitiis generalibus Regni Poloniæ celebratis Grodnæ in Lithvania Anno 1726. â die 27. Sept. usque ad 9. Novembr. Neminem fugit, quod Legati potentissimorum Principum, spe lactati fore, ut propositionibus suis digna accipiant aliquando responsa, expectatione tantum non defatigati fuerint: accedebant gravissimi momenti alia expedienda negotia, ad salutem ipsius Regni quæ facere videbantur; Utrum vero omnes destituerit spes, nec ne, non est ut decidam. Multominus mei concedit ratio instituti, ut copiose referam omnia, quæ in XXXIV. Sessionibus Comitiorum istorum sint dicta, judicata & proposita, cum Regiomonti in Prussia Celeber. Prof. Ord. Eloqv. & Histor. Ioh. Sam. Strimesius librum singularem, idiomate germanico conscriptum, de illis actis edere incœperit, hoc præfixo Titulo: *Vberrima Narratio de Comitiis Regni Poloniæ Generalibus Grodnæ in Lithvania celebratis Anno 1726. ex novis publicis, Gallicis, Lipsiensibus aliisque collecta & notis historicis, geographicis & genealogicis illustrata; una cum Constitutionibus Regni in 4to.* Præterea Acta MSCta horum Comitiorum in quam plurimorum indigenarum & exterorum lateant scriniis. Id tantum mihi dicere erit sine dubio concessum; quod Constitutiones Regni novissimæ multas complectantur res, qvæ & præsentibus & posteris excitare possunt admirationem, neque facile intelligi ab illis, qui historiæ polonicæ, Iurisque publici in Polonia usu recepti, non callent notitiam, neque operæ pretium ducunt esse iisdem legendis impendere operam. Corroborat sententiæ meæ veritatem vel unum Decretum contra Pontif. Maxim. Legatum & de Iure Patronatus, ut vulgo loqvimur, latum, qvod nemo interpretabitur forte, nisi comparaverit sibi notitiam litis, qvæ Regno Poloniæ cum Pontif. Max. intercedit: Vtrum Monachi Poloniæ Ius habeant ex arbitratu suo eligendi Abbates, & a Pont. Max. expectandi confirmationem electionis; an hoc jure tantum

gaudeant Reges Poloniæ nomine Reipublicæ? nec non: qvi termini sint præfixi Iurisdictioni Legati Pontificii?

§ II.

Hæc & alia dum explanare laboro, in spem ingredior fore, ut L. B. non sit displiciturum consilium meum; præsertim cum constituerim mecum enarrare strictim:

1.) Qvos sermones Ablegati a Provinciis sive Nuntii Terrestres, in conclavi suo, libertate loquendi muniti, de hoc argumento inter se contulerint?

2.) Qvales se gesserint Archi-Episcopi & Episcopi, cum horum Nuntiorum sententiæ cum ipsis fuerint communicatæ vel ad adprobationem vel intercessionem.

3.) Qvibus verbis Decretum communi consensu sit conceptum, promulgatum & typis traditum?

4.) Qvo animo & Pontifex Max. & ejusdem Legatus eadem audiverint legerintque.

Qvibus explicitis & fide dignissimis Documentis illustratis non intermittam porro docere:

5.) Originem hujus litis, & quos antea excitarit motus hæc eadem.

6.) Iura Regum Poloniæ, quæ præ se tulerunt hactenus.

7.) Catalogum omnium Abbatiarum, in Polonia quæ reperiuntur, nectam.

§. III.

Qvod igitur attinet 1.) *ad libera vota Nuntiorum terrestrium Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ*, illa ipsa eorum verba tuis L. B. expono oculis & judicio, sicqve se habuisse ex MSCtis Actis Comitiorum, ex polonica in germanicam translata lingvam, me docuerunt. Fuerunt vero hæc: In Sessione V. querebatur Nuntius Ravensis, qvod contra Constitutionem Regni Anno 1683. exterorum Principum Legatis Grodnæ versari sit permissum: addebat: Primarium Nuntium nempe Pont. Max. abesse, nec forte huc venturum; cujus tamen præsentia valde necessaria videretur esse, ut ipsi posset exponi *in quo deviet.* Sanctus

Sanctus Pater Benedictus, tanqvam Pastor universalis, benedicit nobis Iubilæis & Indulgentiis, ejus autem Legatus maledicit injustis inhibitionibus & excommunicationibus, injuriamqve infert non solum privatis, sed etiam Iudicio Castrensi, Marschalcali & Assessoriali & Tribunalitio, qvin imo violat jura Majestatica. Petebat hinc a Mareschallo, ut a Statibus Reipl. literæ ad S. Patrem exararentur, quibus Legati sui injustæ actiones palam facerentur & S Pater imploraretur, *ut aut personam aut mores Nuntii mutet.* Optabat præterea ut inveniri posset medium, qvo jurisdictio ejusdem circumscriberetur: adesse in Polonia Primatem, Legatum Pont. Max. natum, convenientius esse, ut hic, *qvam advena, alienigena, ignarus Jurium polonicorum* hanc exerceret jurisdictionem sacram.

In Sessione XIX. Urgebat Volhynensis Dapifer, ut Respubl. si habendum esset colloqvium cum Legato Pontificio, provideret, ne pro sua potentia tam arroganter dominaretur, tantæqve summæ pecuniæ *pro sacris & aliis expeditionibus extra Regnum exportarentur*, multominus se immiscat materiis Statum Regni & Eqvestrem Ordinem attingentibus. Narrabat hac occasione, Nuntium olim Apostolicum in Samoscii cum Russicis Unitis celebrata Synodo contra leges Regni sanxisse. 1.) ut Russicorum Sacerdotum filii non in functionem hæreditariam succederent sed liberi manerent. Qvid vero periculi ex hoc statuto timendum, facile ex eo cognosci posse, qvod ex 80000. Sacerdotibus, si singuli duos tantum generarent filios 160000 Kosacki in perniciem Reipubl. ortum suum essent tracturi. 2.) Ut Sacerdotes cerevisiam coqverent, vinumqve aductum præpararent cum detrimento eorum, qvi istis in locis Prædia possideant 3.) Ut nullæ Parochiæ apud græcas ecclesias constituerentur, priusqvam priores fundationes non essent auctæ. Præterea Nuntii Apostolici Iurisdictionem violare, ajebat, lura Eqvestris Ordinis per citationes & evocationes ad suum judicium, & per excommunicationes. Svadebat ergo ut ad *abolendos hos abusus* Legatus ad Pontif. Max. mitteretur, isque Romæ serio agat *ratione Juris patronatus*

*& circumscriptionis Nuntiaturæ, nec in causas civiles & materias status se ingerat.*

Dominus Karkowski dicebat: abroganda esse præjudicia, quæ irrepserint, illudque usurpandum, quod olim Cæsar scripserit: Ecclesiam illegat suam, imperium nobis fascesqve relinqvat. Notum præterea faciebat, qvod libellum conscripserit, rogans ut liceret eundem perlegere: Impetrato consensu recitabat eum, cujus titulus: Legatio ad S. Patrem pro Iure patronatus & indemnitate jurisdictionis Reipubl. contra Cortesanos s. aulicos Pontif. Max. Ceterum contestabatur, qvod qvemadmodum Reges Poloniæ, sub qvorum regimine hæc recitata jura essent sancita, nunquam non reverentiam sedi Apostolicæ exhibuerint, sic & hodie *Ethnicum & Publicanum illum oporteat esse*, qvi, licet Iura Reipubl. defenderentur reassummendo, S. Patri in rebus fidei obedientiam deneget.

Dn. Radciewski inter reliqva hæc narrabat: *Apostolicus Nuntius non virtutis, sed fastus, spirat odorem* in arrogantibus loquendi formulis; negat Ius patronatus: Scribam suum omnibus Episcopis & Prælatis præfert; *qui spargit aculeos aulæ natura potentis, qvod Domini mores Santinianus habet.* (nomen est Legato Santini) Cum vero Ius patronatus ex erectione, fundatione & dotatione acquisitum, rogabat, ut Nuntius Apostolicus ostenderet, quis Italus ad unicam fundationem vel tantillum contulerit; contra multos esse numerandos inferebat, qvi ex Italia oriundi in Polonia *valde erecti se domusqve suas evexerint & ditarint*; loco hujus beneficii *rudera tantæ urbis spirant imperiosa ruinas*: Venetias in conspectu Romæ esse sitas; nihilominus in spiritualibus rebus regi a proprio Patriarcha, illumque, qui jura Reipubl. & rationes status lædere vellet, graviter punitum iri. Regni Mareschallum olim Lubomirski Iurisdictionem Nuntii Apostolici propter promulgatam *censuram* Varsaviæ abrogasse; cum regnante Vladislao Iagellone Legatus Pontif. Max. Archi-Ep. Cretensis, disjunctiones feciisset, eum auctoritate Cracovienſis Episcopi Zbignæi Olesinski reprehensum & ex Polonia relegatum esse, qui tandem propter

proprer istam disjunctionem excitatam Vratislaviæ contabuerit. *Icones Italici delectant oculos* ajebat, *emungunt loculos*. Et specimen technarum Italicarum esse addebat, qvod responsum S. Patris ad S. R. Maj. epistolam sit suppressum. In reliqvis rogabat ut S. R. Maj. præsentem Nuntium Apostolicum ex Polonia relegare vellet & efficere, ut Primas Regni non modo titulo esset Legatus natus.

In Sessione XXI. Dn. Ossolinski inqviebat: Impossibile est, ut cum Legato Pontif. Max. aliqvid tractetur negotii, qvippe *ob præcipitantiam ingenii est injurius juribus Reipl.* Hinc porro svadebat ut Nuntii terrestres conjuncti cum Senatoribus S. R. Majestati supplicarentur, ut Legatum mitteret Romam ad S. Patrem.

Hæcqve excerpta perpauca sint documenta indignationis nobilitatis Polon. in Nuntium Apostolicum: ex iisdemqve cognoscet L. B. me maluisse ipsa verba MStorum Actorum, qvæ possideo, & ex Polonica in germanicam sunt versa lingvam, communicare tecum, quam ex Regiomontano libro de his Comitiis edito repetere narrationes.

## § IV.

Cum vero adhuc totus sum in perlegendo Acta MScta horum Comitiorum novissime Grodnæ celebratorum fallendi temporis causa ex iisdem narrabo brevibus, qvam liberaliter tractarint Nuntii Terrestres Legatum Regis Magnæ Brittanniæ: nec non quæ contumelioſa in Regem Prussiæ ceterosque Principes Protestantes, qvi misericordia ducti Dissidentes oppressos in Polonia vindicare laborant ab interitu, fecerunt verba: Leges qvoque L. B. qvæ ad incitas redactis Thorunensibus misera & lugubria fata a futuris exspectanda sint Comitiis, miraberisque, qvod in his non impatientius sit dictum a Nuntiis Terrestribus. Observabo autem eandem methodum juxta ordinem Sessionum procedentem, qua hactenus usus sum. Lege igitur L. B seqventia, & pro arbitratu tuo de iisdem judica.

In Sessione II. Proponebat Dn. Wololowitz Staroſta s. Capitaneus Keudanscensis, qvod Comitiorum *translatio & dilatio re-*

*assumptionis* multis in rebus adjumento fuerit Reipubl. qvippe multa hostili animo molimina *Hæreticorum* aliæque machinationes Principum confinium sint iisdem morata, ut vere dici posset: *Tempus sanat, quod ratio nequit.*

In Sessione III. Laudabat copiose Dominus Garczynski *fervorem Zeli in vindicatione integritatis Divini honoris in negotio Thorunensi*, qvi a toto orbe terrarum concelebretur; optabatqve ut eodem fervore ducti ad S. R. Maj. se conferrent Nuntii Terrestres, adventum felicem gratulaturi & gratias acturi pro Executione Decreti Thorunensis: singulares qvoque agebat gratias Regni Succamerario Principi Lubomirski, cujus sub auspiciis hæ sint res gestæ.

Dn. Sokolinski Dapifer Wichoviensis respondebat: omni tempore Regi Sereff. felicem adventum gratulari possumus, prius vero incumbit nobis *curare vulnus, quod mortifero sudat dolore*; Negotium Curlandicum cuivis nostrum tantæ debet esse curæ, quantæ Thorunense: *hoc enim respiciebat integritates religionis*; *illud integritates regionum Reipubl.*

In Sessione IV. Regni Succamerarius Princeps Lubomirski dicebat: *Deo & Angelis Patronis custodibus* gratias esse agendas quod heri orta tempestas sit consopita. In præsenti cœptas consulationes esse continuandas: Cum in *vindicatione honoris Divini & sanctissimæ Matris* Thorunensi Decreto nondum in omnibus articulis esset satisfactum, qvippe Thorunenses detrectarent restituere fundos ad templum S. Mariæ pertinentes, neqve Senatores Catholicos ad dimidium numerum Senatus elegerint, hinc ex asse standum Decreto esse, ut templum conservari & fratres Bernhardini necessariis reditibus sublevari possint. *Provideatur Reginæ Poloniæ*, qvia hæc pacem & charitatem pro ecclesia expetit. Monialium Benedicti Ordinis Thorunii qvoque habendam esse rationem, ne aquæ ductus urbis ab illarum cœnobio derivaretur: Sui esse officii pro his virginibus agere curam, qvod ipsius Avia in templo ipsarum sepulta qviescat. Curlandicum negotium summam mereri attentionem; qua ex re optabat

bat, ut super hoc *sine læsione & altercatione* colloqvi & formam Constitutionis conscribere liceret.

Dn. Wilkowski Camerarius Sochaczevensis gratulabatur Nuntiis terrestribus & Dn. Marschallo adventum; gratias agebat Deo, qvod providenti cura S. R. Maj. *furiæ a Catholicarum Potentiarum* mitigatæ, & *nimius febrilis ardor* refrigeratus sit. Succamerario Regni qvoque gratias agebat pro Executione Thorunensis Decreti, seque ire in sententiam ejus addebat, ut in reliqvis qvoque articulis eidem satisfiat Decreto.

In Sessione VIII. In votis habebat Dn. Scipion Starosta s. Capitaneus Lidzensis, ut de Executione Thorunensis Decreti ad plenum delineatio fieret, & in volumine legum primo loco Constitutio de Religione poneretur.

Dn. Capitaneus Razanski laudibus extollebat divinam providentiam, & ex ea oriundam Clementiam Regiam, qvod felix initium hæc Comitia capere potuerint. Priora Comitia, adiiciebat, *in fundamento* a Magno Cancellario Regni latæ sententiæ in negotio Thorunensi iuste & gloriose limitata esse, hinc necesse esse ut hæc reassumta ab eodem negotio Thorunensi initium ponant, nempe in typo integralis executionis eiusdem Decreti: gratiasque agebat Regni Succamerario pro studio & labore.

In Sessione XI. Cum ordo sententias ferendi ad Provinciam Chelmensem devolvebatur, addebat Dn. Regni Notarius hæc singularia: *ut Legatio Brittannica in persona ejus, qvi honorem Nationis Polonicæ læserit, declararetur pro vacua, & si contingeret, ut hæc persona Grodnam veniret, revocaretur eadem.* Quam sententiam unanimi consensu comprobabant omnes.

In Sessione XII. Ab omnibus præcavebatur & providebatur ne Legatus Brittannicus, qvod honorem Nationis Polonicæ læserit, ad S. R. M. admitteretur sed potius relegaretur. Qvicunque esset ausurus cum illo conversari, eum in hostium patriæ numero habendum, eiusque munus publicum vacuum esse declarandum.

In

In Sessione XIII. Satim ab initio rogabat Dn. Mareschallus, ut, cum heri omnes ac singuli consensissent, R. Maj. felicem gratularentur adventum, & ab eadem peterent Nuntii Terrestres, quo munera publica vacua aliis conferre clementissime, tempusque præfigere vellet præsentibus Comitiis. In quam sententiam omnes iverunt, præter Dn. Zabicki una cum Collegis suis, qvi contradicebat, neqve ex Conclavi volebat exire, asserens, non posse se ad alia expedienda negotia progredi, priusquam Dn. Finch Grodna esset relegatus. Tandem persvasione Dni. Mareschalli ceterorumque Nuntiorum motus, se commodabat reliqvis, omnesque ad Conclave Senatorum procedebant, qvo in Dn. Marschallus S. R. Maj. sic alloqui incipiebat: Omnes Nuntii Terrestres ad Thronum S. R. M. veniunt ê Templo Thorunensi, qvod nullus antecessorum S. R. Mai. licet omnem navaverint operam, sanctæ Ecclesiæ vindicare & restituere potuit; Sub S. R. M. vestræ autem felicissimis auspiciis & providentissima eiusdem cura id confectum arduum negotium, simulatque Honor Dei, Matris eiusdem & omnium Sanctorum læsus in integrum restitutus, iustasque pœnas eundem violantes luerunt: eaque ex re tota Natio Polonica S. R. Majest. immortales agit gratias &c,

In Sessione. XVIII. Interrogabat Dn. Marschallus: Utrum permittant Nuntii Terrestres ut ad negotium Thorunense facientes litteræ ab extraneis Principibus ad S. R. M. missæ prælegantur nec ne? Cui non solum assentiebantur sed etiam rogabant Dn. Mareschallum, ut eas una cum responsis recitari curaret. Qvamobrem Imperatoris Romani, Regum Sveciæ & Angliæ prælegebantur; idem qvoque qvando tentabatur cum Oratione, qvam Dn. Finch Ratisbonæ habuit de negotio Thorunensi; Tumultus oriebatur & omnes vociferabantur dignas esse tales Orationes, ut ê feneſtris proiicerentur & *ad Calumniam* concremarentur.

In Sessione XIX. Consentiebat Dn. Czarki Volhynensis Dapifer ceteris ratione Relationis de Colloquiis cum extraneis Legatis

gatis: optabatque ut Executio ad plenum Decreti Thorunenſis confirmaretur. Ad prætenſiones Proteſtantium qvod attineret, non ſolum illas reiiciendas eſſe, ſed oportere qvemvis Polonorum, prius ſangvinem profundere ſuum, qvam pati ut Honor Dei, Sanctorum & Nationis violaretur: hinc ſe ſentire, ut iuxta monitum Dni. Schreiberi Grodnæ plane non toleraretur Dn. Finch. Ad Aulam Brandenburgicam qvod faceret, dicebat; illam neceſſe habere attentata contra Rempubl. prius purget, poſtea fieri poſſe, ut illi in Diplomate poteſtas concederetur, ſe Regem *in Pruſſia, non Pruſſiæ*, & ſine ullo præiudicio iurium Reipubl. nominandi, reſtituendum vero antea eſſe Territorium Elbingenſe & pignori data Regni Cimælia: Qvo facto dari hoc ipſi poſſe a Republ. ut titulum Regis adtribueret eidem.

Dn. Karkowski qverebatur de Aula Brandenburgica & ſpeciatim de uſurpatione Prædiorum Dni. Karkowski, nec non qvod in fundo polonico patibula erexerit; item, qvod violento modo Poloni ad ſtipendia ipſi facienda cogerentur, cumque Brandenb. Legatus auderet hæc omnia negare, oportere *adinveniri medium ad tollenda hæc gravaminoſa præjudicia*, ſvadebat ergo ut Exercitus augeretur, concludens, qvod niſi in Regno Poloniæ firmior & copioſior numerus militum aleretur, nil niſi contemtum ab extraneis Principibus eſſe exſpectandum. Addebat: *Anglorum convitia & opprobria horret animus eorum meminiſſe*, procul a nobis diſſito Principi quomodo ſe habeant res exponendum.

Dn. Wielohorski, Caſtellanus Volhyniæ ad prælectas relationes monebat dolebatque, *quod cum honor Nationis Polonicæ dente canino rodatur*, neceſſe ſit ut eiuſmodi *terriculamenta* flocci fiant, & ſinguli ad conſervationem & defenſionem ſanctæ fidei excitentur animenturque.

In Seſſione XX. Dn. Wyzicki, Stabuli præfectus Lithvan. hæc proferebat in medium: Ille felicitatem alicuius Regni probe perſpexit, de qvo aſſeri poteſt: *Conſilia domi, arma foris*: De con-

finibus Principibus effari possumus: *Pericula undique radiat Mars sævus in armis:* Nos ita nos gerimus qvasi in altissima viveremus pace: Nulla audiuntur consilia, sed vano strepitu prodeunt verba; ubi res eger manu, non consilio.

In Sessione XXI. Monebat Dn. Ossolinski Thesaurarius aulæ, quod tempus consiliis conferendis consecratum inane ruat, cum præstaret *rapere, qvam capere consilia,* potiorque cura esse debeat, *ut fiat bene in Publicum.* Rationem esse habendam externæ & internæ securitatis: Protestantes iniusto modo qvædam postulare, oporteat vero imitari prudentem gubernatorem, *qvi inter flabella eteſiarum disponit remedia procellarum;* Qvod si isti Principes cum Republ. per viam amicorum officiorum agere vellent, supplicandum esset S. R. Maj. ut ex Senatu & Nuntiis Terrestribus qvosdam eligeret ad continuanda colloqvia cum illorum Legatis. Qvod si vero Reipubl. necesse foret tales *impetitiones per viam defensionis* amovere, fundamenti loco ponendam esse *Vnionem animorum & armorum.*

In Sessione XXIII. Dn. Prabowski existimabat, imprimis de securitate externa esse ineunda consilia, *qvando exultat cum pace qvies, placidasque inter discurrimus urbes; alia regna in pace floreſcunt, nos in pace marceſcimus.* Ad externam securitatem reqviri convenientem & sufficientem exercitum, *qvi sine fundamento, sine fundo & coæquatione contribuendi* subsistere & ali non possit, *ejusdem vero cum juris esse debeant, qvi sub eodem Rege vivunt, hinc æqvitate, non pertinacia, certandum esse:* Principem Brandenburgicum postulare ad fines constituendos aliasque res controversas decidendum Commissionem, *& ideo lacessit;* Commissionem autem concedi non posse *ante recognitionem prætensi tituli Regii;* contradicendum igitur esse ei, ut forsan nimii ausus *jure feudi innodati Principis,* aliqvantulum reprimi & retardari possent. Ceterum sibi placere aliorum sententias.

Dn. Miaskowski, Terrestris Nuntius Calissensis dicebat: neque creditur, neque fingitur, *qvod Brandenburgicus non solum dictis & scriptis, sed & factis hostilitatem exerceat. Nos perimus fato*

*qvodam*

*qvodam occulto* nolumusque credere exiſtere hoſtem. Amicæ *expoſtulationes & reqviſitiones* fruſtraneæ ſunt. Augmentum Exercitus eſt neceſſarium pro ſecuritate externa. Cum igitur *in externis faucibus fati hæreamus*, neceſſe eſt, ut ad liberationem, *tanqvam ad campanam incendiariam æqvaliter concurramus*; ad quod qvidem cuivis *ratio ſtatus* non ſolum, ſed & conſcientia addere debet animum.

In Seſſione XXIV. Ingemiſcebat Dn. Lawozy 8. diebus *luctu* vel potius *luctu* fruſtra conſumptis ob controverſiam de coæqvatione, ſive æqvali Palatinatuum modo contribuendi; addebat præterea, qvod non ſolum internam, ſed externam ſecuritatem Reipubl. Diſſidentes in religione *turbent, qværendo Deos alienos & protectiones exteras*; Hos adeo ignominioſas & ſtomachoſas elicuiſſe literas, verosqve *auctores inflicti vulneris honori Gentis Polonæ eſſe. Hos hæreticos*, tantum qvi tolerantur in Reipubl. audere conventicula celebrare, Ablegatos & literas ad exteros mittere, hisqve auſibus efficere, ut Reſpubl. cum multifariis aulis collidat; Hos ergo eſſe *Vlcera Reipubl.* ab aliis ſeparanda membris ſanis. Svadebat ut vetuſtiores Conſtitutiones Regni contra hæreticos reperentur, & Conſtitutio ſpecialis publicaretur, ut hi in Polonia *æqvalitatem juris & pœnæ habentes Diſſidentes*, ſub pœna *Capitis & confiſcationis bonorum* ad exteros qvominus confugiant prohiberentur.

In Seſſione XXVI. Dapifer Cracovienſis dolebat tempus deperditum, 4. hebdomadas præterlapſas eſſe & qvintæ fruſtra factum initium, ut vere dici poſſet: *Totis noctibus laborantes nihil cepimus! Dum ſecuritas externa & interna duo objecta modernorum conſiliorum non ſolidantur.* Cum ad Orientem porrecti Palatinatus nullis precibus, ad *æqvanimitatem in coæqvatione contribuendi* flecti potuerint, ut ſe *diſpoſitive & finaliter* declarent; Præterea qvid cum Dn. Swerin ſit locutus, referebat: nempe, qvod is *tanqvam in Polonia habens colligationem* ſatis qvidem humanum ſe geſſerit, ſed *ſine effectu ſatisfactionis*, cum dixerit ſe omnia aulæ Berolinenſi relaturum eſſe. Ex qvo facile concludi poſſet, *qvod uſitata praxi* nulla

justitia sit subsecutura. Dnum. Legatum exhibuisse Principis sui mandata contra violentias, nihilominus post hæc novas esse attentatas, hinc optandum, ut pars exercitus ad fines brandenburgicos ire juberetur, *ad reprimendas hujusmodi violentias & irruptiones.*

In Sessione XXVII. In medium proferebat Succamerarius Regni Dn. Lubomirski scriptum qvoddam, hac exornatum inscriptione: *Projectum approbationis fundationis Patrum Bernhardinorum Thorunensium*, qvod prælegebatur & ab omnibus comprobabatur.

In Sessione XXVIII. Dn. Karkowski, adpræcabatur felicem exitum Comitiorum, seqve *de effectu votorum suorum* optime sperare declarabat, cum videret curam agi, ut pax & justitia se mutuo oscularentur, *Agitur enim* inqviebat, *de justitia ab intra, de pace ab extra*, & qvoniam Dn. Brandenburg. Legatus legitimas prætensiones Reipubl. accepisset, ut Principi suo referret, hinc optabat, ne prælectum & S. R. M. traditum *Memoriale* accipiatur, *priusqvam sufficiens satisfactio in prætensionibus Reipubl. esset subsecuta.* Qvod si contrarium accideret, rogabat, ut sufficiens medium ad liberationem eorum Polonorum, qvos vi ad militiam coegerit, invenire vellent præsentes. Urgebat præterea, ut vel ante *Combinationem cum primis Ordinibus* Dn. Maresschallus ex Eqvestri Ordine Deputatos legeret, qui cum hoc Brandenburg. Legato colloqverentur &c.

## §. V.

Qvæ cum ita sint, judices velim L. B. utrum Poloni liberalius tractarint Legatum Pont. Max. an Regis Magnæ Brittanniæ. Sententiam tulerunt: *qvod Dni Finch oratio Ratisbonæ habita & typis evulgata projici debeat e fenestris & ad Calumniam* (ut loqvuntur) *comburi.* Qvale vero consilium capere debet Regnum Magnæ Brittanniæ cum negari non possit, qvod Nobilis qvidam Polonus Cracoviæ libellum inprimi curaverit Universitatis Approbatione animatus, hoc præfixo titulo: *Europa in Sereniss. Leszyniorum Domo Sanguine & Affinitate per Orientis & Occidentis Imperatores, per absolutos Monarchas; per omnes fere Poloniarum Reges, per Duces, Heroe*

roes & Summos Proceres inclusa: ad Connubiale Festum Ludovici XV. ac Mariæ Leszyniæ, Christianissimorum Galliæ Regum, pro adaugenda totius Europæ lætitia adaperta per Eqvitem Polonum 1725. 8vo. Autor Prussiæ Doctæ continuatæ P. IV. p. 171. contenta libelli in Epitomen coniecit, qvod nempe Familiam Leszynskiam illustret & pag. 21. seqventia hæc blasphema de Rege Magnæ Brittanniæ dixerit verba: *Ex eodem Principe Iacobo (Iohannes III. Reg. Pol. Filio) & Amalia Neoburgica prodit, exilij solatium, uxor piissima Iacobi III. Brittanniæ Regis, ob fidem orthodoxam ad Thronum non admissi, Sed*

*Audi: qvisqvis opes raptaqve possides*
*Favro regna dolo: fulmina fert polus:*
*Totum parva dies vel sine tempore momentum rapiet;*

Alius Nobilis Polonus Regio Principi & Electoratus hæredi Saxonici, cum An. 1726. primum venit Warschaviam, obtulit submisse Carmen, typis S. R. M. Scholarum Piarum ibidem impressum, hoc sub splendido titulo: *Fortuna in Lechiam hospes, seu felicissimus* SERENISSIMI REGII ELECTORALISQVE PRINCIPIS FRIDERICI AUGUSTI *in Poloniam Adventus ab Eqvite Polono celebratus. In fol. 5. plag.*

Hoc Carmen ita fuit fusum: & dignum, ut, cum postea non fuerit promercale, propter posteros integrum inseratur & repetatur hic.

# PRINCEPS SERENISSIME

*Qvidqvid humanitatis, scientiæ, qvidqvid promptitudinis, Gentis meæ civilitas habet, id totum in felicissimi adventus TVI applausum, liberaliter, impendit HOSPES OPTATISSIME. Hoc sane officijs nostris incumbit, ut qvi universorum Votis destinatus ades, cunctorum pariter excipiaris lætitia, vel tum maxime, cum in Hospitali Principis vultu, singulorum prætensio, suas abunde inveniat delicias. Qvalis illa in Augusta Iuventute, Majestatis cum comitate conjunctio! Qvale non affectatæ clementiæ, placendi in Principe studium! vix oculis suis credit Civium admiratio, qvæ venientis fortunæ plenissima imagine, spiritus & vocem*

colligit, ut aliqvando exclamet. Libertatis qvidem istud arcanum est, divinandi tamen non excludit conjecturas, qvæ eo manifestiores sunt, qvod acrius propensarum mentium consensus, illa omnia, jucunda meditatione concipiat, & secretius susurret, qvæ apertius postea loqvi non erubescet. Vnde nec ominari difficile, nec precari immaturum est. Adoramus purpuratæ diei, in adventu TVO præcurrentem Auroram, Serenissimam Lucem, in Solio Nostro expectantes. Præguſtamus futuræ spei blanditenta, in Præsentium dulcedine, & veneramur Æterni Consilii Providentiam, qvæ tam exornatam Principis Indolem, intuentium sistit oculis, ut & præsentis contemplatio, omnium ad se alliciat amores, & absentis memoria, æquale sui in Polonia relinqvat desiderium. Qvanqvam ne, id qvidem sine injuria gentis faceres, si svavissima consvetudine allectos desereres Polonos, qvi felicitatis TVÆ specimen monstrari sibi pariter ac tripi, ferrent ægerrime. Habes eundem nobiscum Patrem, AVGVSTISSIMVM Genitorem, habe & communem Patriam, non conditione qvidem natalium, sed Paterna Purpura, TIBI consangvineam, & affinem. Mane itaqve & ex hospitali Numine, domesticum Sidus, tempestates Nostras non desere, donec sese tranqvilliori explicuerint Sereno. Vt vero vota publica finiam in constantis meæ erga Serenissimam Stirpem propensionis tesseram, hos sub Vmbra TVA ludentis Camenæ labores, pedibus Ejus substerno. Suscipe innata Sacris vultibus amœnitate, non semel jam notam magnisque virtutibus obligatam Poësin. In qva, quecunque tandem legeris: illa omnia clementer intelligas, Vatem me potius scripsisse, quam Poëtam.

# POEMA.

## ARGUMENTUM.

Ad primum Serenissimi PRINCIPIS in Poloniam adventum Virtutes gloriabundæ conveniunt, inter qvas Religio suarum anxietatum seriem referens, iisdem a pietate Hospitis remedium exposcit. Tum intaminatus Lechicæ Nationis Honor, injurias sibi ab exterorum traductionibus irrogatas, magnanimiter refutando, a strenua PRINCIPIS adventis manu suffragium expectat, optima Patriæ suæ ab auspicatissimo adventu auguria erigendo.

Seu

SEu Te Patris amor, Lechiæ seu cura voventis,
Seu demum populi suspiria longa tulerunt,
Faustus ades PRINCEPS; etenim nil vultibus istis
Commodius Gens nostra videt, dum bella moventur,
Improba tum tumidos vicina fervet ad enses,
Fortis in auxilium generosæ Gentis abire
Non dedignaris; calcata nempe quiete
Pacificæ vitæ, frustra retinente voluptâ,
Hospes in externam concedis vota salutem
Tam pius, ut sese passim permittat habenis
Relligio tractanda Tuis, tam promptus & audax
Ad juvenile decus, genii florentis, ut ex nunc
Ultio Sarmatici Tecum reparetur honoris.
Sed ne plura loquar, finem cupiente Camena,
Ad numerum redigo summæ compendia laudis,
Et pariter sileo; Te scilicet hospite PRINCEPS,
Optima Sarmaticis rediit fiducia rebus.

Expectata diu postquam rumore secundo,
Explicuit sese faustissima fama per orbem,
Advenisse diem, qua PRINCIPIS ora tueri
Et liceat dulci cupidissima lumina, pridem
Pascere conspectu; laribus profusa relictis
Urbs coit, & certo solatia quærit in ore
Hospitis Augusti; cujus felicior orbis
Lechicus intuitu, venturæ gaudia sortis
Captat, & exultans jam succedanea rebus
Fulcra videt pronis, Majestatique futuræ,
Designant oculi præsagia plura silentes.
Multa qvidem certoque velut prærupta stupore,
Vota salutantum circum numerosa recurrunt,
Attamen officium peragit spes multa loquendi;
Qvem siquidem populus, præsenti Numine sentit
Advenisse hodie; faciens ex Hospite Patrem,
Protinus optatam clamabit adesse salutem.

Vox

Vox erit in votis; nunc Te ſtudioſa tacente
Circuit amplexu Populorum cura; nec iſta
Læſerit Auguſtum propenſio, qvippe precamur
Ut gerat æternos Pater immortalis honores,
Sed ſi ſera dies longiſſima ſtamina rumpet,
Tu ceu prævisus ſis immortalibus Hæres.
Nec tantum ſpectando viam civilibus ornat
Obſeqviis humana meæ contentio gentis,
Ipſæ virtutes, Tecum adventante ſuperbæ
Conveniunt, pompamque ſtruunt, ridentibus aſtris.
Hic pudor & pietas, animique patentis apertus
Candor, & egregio concinna modeſtia geſtu,
Fert exemplarem miſto moderamine vultum,
Inqve DUCIS facie, virtus non una laborat,
Sed cunctæ dotes aliquem duxere colorem,
Ut conſummatam poſſent formare juventam.
Inter ſydereas verum primæva ſorores,
Relligio, puro manifeſtius eminet ore,
Qvæ complexa manus ad ſe tendentis alumni,
Talibus eloqviis ſudantia labra reſolvit:
Exoptatus ades, cunctis virtutibus Heros
Cunctarum miſſus pariter, genitusque decori,
Nulla tamen potiore ſalit, gaudetque volupta
Qvam mea conditio, variis quæ ſaucia curis,
Expectat certam Domino veniente qvietem;
Nam licet auxilio pietas Genitoris adeſſet,
Et fuit in promptu dextræ vindicta probatæ
Qvæ tot bellorum prope conſvetudine fortis
Nullius credo metuit diſcrimina pugnæ,
Hoc ſpondet fortuna DUCIS, bellique prioris
Succeſſus, faciuntque fidem tranſacta futuris.
Verum Sarmaticis, major fiduciâ ſignis
Accedit, quando pietas conjuncta duorum.
Qvidquid habet pretii, noſtros ſubmittit in uſus,

Auxilioque

Auxilioque parat Gentis, totumque cruorem,
Nunc Auguſta Domus, Patriæ miſcere periclis
Non dubitat, nihil eſt jam forſitan orbe relictum
Saxonico, qvod non impenderet, illa ſaluti
Lechiadum, poſtqvam totam cum ſangvine ſtirpem
Saxoniæ eripiens, fruſtra ſua damna dolenti,
Caſibus in clypeum qvendam communibus offert.
Ergo qvid hæremus, qvid publica bella moramur?
Cur dubitet de ſorte fides? cum tanta gerendi
Copia conflictus animoſos erigat auſus.
Qvis formidet adhuc, qvando his commiſſa lacertis
Alea fortunæ eſt, qvidqvid matura jubebit
Dexteritas PATRIS, faciet formata juventus
Omnibus auſpiciis, ſortisque pericula noſtræ,
Vertet in ingentis florentia ſerta triumphi.
Utque tuas acuat generoſior ultio vires,
Rem brevibus memorabo metris, quæ cauſa tumultus,
Diſſidiique fuit popularis; curque maligna,
Pars Europei ſua cantet claſſica tractus.
Iſtula Sarmaticos inter vaſtiſſimus amnes,
Poſtquam ſe ſenſim fluvialibus auxerit undis,
Mœnia vicinæ lambit rapidiſſimus urbis,
Qvam Thorunenſem veteres dixere Coloni.
Illa diu Lechicis conſtans addictaque Sceptris
Non fluxæ fidei meruit præconia, ſi non
Municipum Nomen maculaſſent probra fidele.
Scilicet effrenis maleſvaſa licentia vulgi,
Seu propriæ fecis, violento percita motu,
Fecit iter ſceleri; permiſſio ſive laventis
Prona Magiſtratus, peccandi crimen adauxit,
Id mihi non conſtat, ſatis eſt utrinque reatus,
Vulgus enim ſprevit communia jura, viciſſim
Culpa Magiſtratus nec non manifeſta videtur,
Qvod non ſit rapidæ menſura coercita turbæ,

Sed qvæcunque rei fuerint fundamina gestæ,
Nullus erat qvem non indigni causa tumultus
In justas moveat lacrymas, cui vulnus apertum
Non adigat plures sensuro corde dolores.
Seditiosa manus, siqvidem postrema popelli
Colluvies, tandem fidei dominantis ad aras
Ausa fuit sacræ Divum vim inferre qvieti.
Qvis potuit numerare viros, quos impius ardor
Egit in excidium populo plaudente nefandum.
Nec loqvar ulterius; divertimus inde tepentes
Ploranteſque oculos, sed tu justissima rerum
Arbitra Themis sacra, cui competit ultio facti,
In tot Sacrilegos pœnas meditare nocentes.
Finge nihil nostras aliud lucere per aras,
Qvam veterum spretis idola simillima fanis;
Falleris impietas, devotio qvippe latina
Non coluit truncos nec fusi frusta metalli,
Sed per visibiles confestim adjuta colores
Tendit ad invisos fragilis reverentia vultus.
Si veritum non est Patrum post fata colossos
In memori servare Domo, dulcesque tabellas,
Qvæ caram revocent oculis animoque figuram:
Qvis verat æternam Populo præponere normam,
Ut dubias mentes ducant exempla piorum.
Si scelus est ingens, Regum fregisse nitentes
Effigies, si forte scelus, fumantia nigris
Atria consulibus, petulanti frangere dextra:
Supplicium reor omne minus, tam deside facto,
Qvod super æternum sua crimina jactat olympum.
Nec surdis res dicta diis; vindicta repente
Ingruit, ac operi subito data pœna procaci.
Vulgavit vix fama nefas, cum publicus arsit
Zelus, & a Lechio commissio facta Senatu,
Ulta fuit rigide spretorum jura Sacrorum,

Compri-

Comprimis Rezner, quem conniventia ſontem
Fecerat, exceſſum gladio plectente piavit:
Mox reliqui de Plebe rei, qvoscunque nefanda
Complicitas tenuit ſceleris populariter acti,
Carnificis feriente manu mortale rebelles
Amiſere caput, tumida cervice revulſum.
Tunc primum luſtrata fuit plebs integra noxis,
Et qvæ proſtratas paulo antea polluit Aras,
Eluit infamem lacrymis civilibus auſum,
Inque ſuo ſeſe pudibunda cruore volutat.
Viſa tamen poſt hæc lætari, nempe Lutheri
Martyribus præſto ſex acceſſere latrones.
Actio ſic ſtulti plexa eſt temeraria vulgi,
Sed qvia credidimus, veri non abſque colore
Invidia fidei populi creviſſe tumultum,
Debuimus punire ſimul, pariterque protervum
Dogma, qvod inſtillat rabidum profitentibus oeſtrum,
Ac implet proprios qvadam feritate ſequaces,
Commoda ſe plane cupientibus, obtulit anſa,
Et longis qvæſita viis; ut facta Latinis
Plebis inurbanæ concurſu, iniuria ſacris
Afficeret paribus Lutheri fana ruinis.
Plena vetuſtatis, veterique ſtupenda nitore,
Stabat in ambitu moles ſpectabilis urbis,
Qvam cuſtoditam per ſecula plura Minorum
Obſequiis, ſemper tenuit Romana poteſtas.
Interea Lechicis dum graſſaretur in oris
Aura nocens, urbis tetigit ſors dira colonos:
Nec populos tantum tam mortifer halitus afflat,
Sed per clauſtra furens, ſacros violando receſſus,
Vitales miſeris Patribus præcluſerat hauſtus.
Unus erat frater, ſancta de ſtirpe ſuperſtes,
Qvi poſtquam venis virus mortale recepit,
Sollicitus moriendo fuit, ne poſt ſua fata

Splendida vulgari patuissent templa rapinæ,
Qvare præ memori consignans cuncta papyro
Prorsus ad urbanum referens documenta sigillum,
Restituenda suis dominis, cum clavibus offert.
Nacta Magistratus solertia subdola tempus,
Depositi tandem violando jura fidelis,
Ritibus externis purissima templa profanat,
Sic cum peste simul contagia cæpta Lutheri
Infecere suis altaria sana venenis.
Qvid qvæso Martine tibi cum clavibus istis?
Qvas constat cessisse Petro; redde ergo dolose
Usurpatorum Sacraria mæsta Penatum,
Nam licet ad præsens tolerantia nostra sinebat
Vos contestati per jura vetantia fani
Relligione frui, quoniam tamen improba vulgi
Seditio, prius causa fuit violare Latinos
E sacra Lutere Domo, jam protinus exi,
Possessorque malæ fidei prætensa remitte
Iura laris, siquidem neglectu gentis abusus
Effrontem reseras aperisque tumultibus urbem.
Redde Petro claves; tur es non janitor ædis.
Desierat lassata fides; oculisque dolenter
Tandem Christiadum per singula Regna reductis,
Respexit plorando tuum FRIDERICE juvamen,
Venit & ad quæstus similes memorabilis olim
Gentis honor Lechicæ, fastum qui præter avitum,
Hospitis adventu proprios renovando nitores,
Visus in antiquæ culmen conscendere famæ;
Et vulnus commune dolens facundius inquit:
Sic res acta fuit rigido justissima zelo,
Qvas tamen in Patriam visa est movisse procellas.
Totus ad arma coit Luteri mundus iniqua,
Iam lituos, jam bella sonant, jam denique livens
Terra suos jussit latrare Brittanna molossos.

Iamque velut gladiis, modo præluſura cruentis,
Exacuit calamos hebetiſque volumina plumæ,
Expediens dictis convitia mille protervis.
Ratiſbonenſi quæ tandem geſta Senatu
Et meminiſſe piget! Finck dum impatiente ſaliva
Contra Sarmaticam Temidem maledicta ſpuebat;
Barbariem gentis, diræque vocabula ſtirpis,
Ignava levitate notans; ſi gloria Iudex
Eſſe velit litis, perdes temerarie cauſam.
Seu etenim Lechicæ Sobolis palpaveris enſes,
Seu genium, invenies limatum ſemper acumen.
Vos ego crudeles titulo potiore, Brittanni,
Compello, ſi fata Mori, Cædemque Bukinckam
Cromvelli cineres, etiam poſt funera ſparſos
Excutiam, centumque alios, quos turpiter aura
Inſtabilis populi, poſt tot data ſigna favoris
Carnificis plerumqve trucem damnavit ad ictum.
Sic qvorum nunqvam fortaſſe Brittannia veſtra
Eſſe Parens meruit, teretrum ſtat facta virorum.
Atque utinam Patrum furor hic cervice ſtetiſſet,
Verum difficilis vulgi, projecta libido
Ad Majeſtatis proruperat uſque ruborem.
Vidit, & averſum pallens Europa retorſit
Intuitum, qvando turbæ plebejus ardor
In proprium Diadema furit, ferrumque repertum eſt
In Scotia, qvod tunc vitales frangeret hauſtus
Regibus, ac miſere Dominantum colla feriret.
Tale dedit ſpecimen cum Grandibus Anglia facti;
Qvalis in inviſos fuerit vindicta Latinos?
Mille fere memorem ſubeunt exempla ſtuporem.
Perſonios, Scotos, Garnettorumque cruorem,
Supplicium Cotami, memorabo fata Brianti.
Iſtorum par pœna fuit, miſerabilis uncus,
Ultra qvem cupiit procedere dira libido,

In nece qværendo passim nova funera; nempe
Postqvam fatali trepidarunt corpora ligno,
Mox immatura veluti pietate recisa
In vitæ mortisque moras crudeliter auctas,
Exta dabant resecanda novis lictoribus; & sic
Simplice supplicio, nunquam satiata Tirannis,
Qværebat geminum producta morte dolorem.
Dicite nunc qvæcunque placent, si Lechia nostra
Crudelis? meruit sed qvale Brittannia nomen?
Dum Reginali posuit cervice securim,
Nutrivitque suum tam claro vulnere fastum.
Qvas laudes meruisse putas tam nobile Regnum,
Cujus inextinctus fundendi sangvinis ardor.
Non solum per bella furit, qvandoque propinqvis
Civibus immitis, (sic ulciscente tonante)
Cladibus externis, plus tibi fundit ab intra.
Unde nec humanæ meruit cognomina gentis,
Natio suppliciis tantum distincta: nec inquam
Frustra vos Pelagi natura coercuit undis,
Ne reliqvas Gentes confinia vestra profanent.
Nos vero natale solum permiscuit orbi
Contiguo, jussitque plaga spirare polita.
Lenis inest nobis pietas, & mite placendi
Ingenium, scit multa pati, scit cætera cauto
Dissimulare modo, vobis plerumque remisso
Consilii freno rabies violenta ferocit.
Utque magis pateat Lechicæ moderatio gentis
Non tantum calamo, dictis qvoque parcit ineptis,
Qvæ Finck inculto nuper fuit ore locutus,
Qvodsi fundendi comissa cæde cruoris
Inconsulta sitis peregrinos occupat æstus.
Nec nobis micat ensis hebes, sed prompta cuivis
Dextera fortunæ, certo movet arma triumpho.
Et sic tot Pelagi spatiis, terrisque remotæ

Lætifero primum jungentur vulnere gentes,
Primaque nos inter commercia sangvis habebit.
Durius hoc angit, mentemque affligit acerbam,
Qvod mihi, juratis qvondam concessa Vasallis,
Erigat inflatas tumidissima Prussia Cristas.
Bella canit fidei nondum Regnator adultus,
Mole Gygantea vastissima castra parando,
Corporibus passim præstantia monstra stupendis,
Non animis, prompti conscribit PRINCIPIS ira,
Longior imperio miles, majorque Borusso,
In Lechicum transire solum meditatur, at istis
Hospitibus non est tellus par nostra ferendis,
Ad tumulos tamen ampla satis cum funere dandos.
Et veluti qvondam bellum Tytania proles
Indictura Iovi vastissima corpora cœlo
Oppossuit, centumque manus in prælia sumpsit,
Vulneret ut telis insontia Numina: sic &
Ille Polo semper nomen confine Polonos
Aggressurus, alit redivivo Marte Gygantes,
Res habet arcanum; nam parvæ gentis, inanis
Faustus, tot peditum mensuram qværit ab umbra,
Certe si placeat tranandis apta figura
Hæc maribus, qvodsi nos Mars miscebit in igne,
Amplior in tantis meta est speranda lacertis.
Non prodest mensura viro, si credimus armis,
Nil tam procerum, nihil est tam grande profecto,
Pugnando qvod non heroicus ensis adæqvet.
Non contemno qvidem tanti discrimina belli,
Ast expecto diem, qva decretorius ensis
Decidat, pluris ne valet sine mente statura
An vigor, & Lechicæ Gentis cum PRINCIPE virtus.
Talibus insidiis est circumventa Poloni
Imperii perplexa salus; tamen usque propinqvos
Discutimus sperando metus; minimeque timemus

Qvidquid Sarmatiæ præſens fortuna minetur:
Et qvæcunque paret rebus diſpendia: Qværis
Unde mihi tanti veniat jactantia voti?
Unde tumeſcentes animi, num belliger orbis
Mittit in auxilium juſtæ ſua robora cauſæ?
Num cunei denſis coeunt ad prælia turmis?
Ipſeque Mars avidis num conſerit arma lacertis,
Orbis ad horrorem? minime! qvid qvæſo reſolvit
Impavidam mentem? qvis tandem certa futuri
Omina ſucceſſus Patriæ promiſit aruſpex?
Qvid mihi cum fibris, quid cum ſpirantibus extis,
In quibus auſpicium cæpti plebs ſtulta locabat·
Pulchrior eſt ſortis nec non certiſſimus index
PRINCIPIS adventus, Tanta eſt fiducia vultus
AUGUSTI, tam fauſta Tuæ proportio frontis,
Qvam qvocunque fere veniens obverteris Hoſpes,
Pax oritur viridique coit concordia nexu,
Nam velut Alcyonum plorans & mæſta propago
Creditur indicium placidæ præterre qvietis,
Dum mare conſultat palleſcens nativa. Nempe
Qvantumcunque freti, violentus ſæviat æſtus,
Et feriant qvaſſam qvantumvis æqvora puppim,
Non timet iratos fluctus, Pelagique tumorem,
Sed potius ridens, turibundas nauta procellas,
Explicat Oceano, ludentia vela profundo,
Dum videt Alcyones, levibus poſuiſſe ſub undis,
Et feciſſe ſui pacata cubilia nidi,
Sic & Sarmaticam quæ portat cymba ſalutem,
Nulla reformidat redeuntis murmura fluctus
Fortunæ bellique ſimul ſecura minarum,
Præterit horrentes remis felicibus undas,
Dum videt in Patrio Regalis Stirpis amores
Nidificaſſe toro, caſtiſque caloribus, aptum
Inter gentiles Aquilas ſtraviſſe cubile.

Hæc

Hæc sunt mansuræ certissima pignora pacis,
Qvando Saxoniçæ sese eripiendo voluptæ,
Inter nos transferre Domum Stirps sacra laborat,
Aut etiam veluti dum se pluvialibus æther
Obducit nebulis, pulchro Thaumantias arcu
Mille colorati referens solatia cæli,
Post tempestates tandem dat mille sereni
Aeris indicium, tenebrasque resolvit opacas.
Sic FRIDERICE, Tuæ facies distincta Iuventæ,
Mille per afflictas respergit gaudia mentes,
Atqve nigrescentes adverso turbine nubes
Discutit, egregios dotum jaciendo colores,
In qvibus & speciem pacis bellique virilem
Tincturam pariter Lechicus mirabitur orbis,
Atque sui de Te sumet simulacra sereni.
Scilicet ut fatear, Præsentia Vestra vel omen
Pacis erit justæ, vel spes secura Triumphi.
Ergo nec ad strepitum belli convertimus aures,
Prælia conflictus nec detrectamus atrocis,
Regnorumque minas, in mutua damna ruentum,
Præsidii siqvidem satis est in vultibus istis,
Qvos ad delicias populorum Numen adornat.
Inde nihil nostram poterit temerare qvietem,
Talibus incumbit postqvam subnixa lacertis
Imperii fortuna Lechi; moerore relicto
Patria subridens, confestim gentis honorem
Et fidei causas, conceptorumque labores
Spirituum, Vestris ultro deponit in ulnis.
Sustine labentes, Lechiæque addisce dolores,
Ut possis placidam rebus conferre medelam.
Hæc sunt vota Lechis; hæc tædia gentis anhelæ,
Qvæ cupit ut meritam Regalia Serta Iuventam
Obstringant, cupidoque ferant solatia Regno.
Sed video qvia sponte Tibi formosa modesto

Igne rubet facies, laudumqve recuſat acerras.
Hoc tamen indicium eſt venturæ dulce Coronæ;
Prævia regali nam purpura ludit in ore,
Qvam toties roſei ſuffundit flamma pudoris.
Qvare nunc animis, Majeſtatiqve propinqvæ,
Parcimus; hoc tantum feſtiva voce precantes:
Ut, qvi veniſti propenſus Hoſpes in oras,
Longius inter nos PRINCEPS, Dominuſqve moreris.

§. VI.

Progredior ad SECVNDVM PVNCTVM, *qvid nempe Eccleſiaſtici Senatores ſenſerint de propoſitionibus Nuntiorum Terreſtrium*; præmoneoqve, qvod tales formæ Conſtitutionum omnium primo in Conclavi Nuntiorum conſcribantur, poſtea Senatoribus ad adprobationem prælegantur, & qvandoque conſentientibus Nuntiis mutentur. Si & Senatores & Nuntii Terreſtres concordant tunc interrogat Cancellarius: utrum Regi, Senatoribus & Nuntiis placeat, ut inprimatur iiſdem ſigillum? Si affirmant, non dicta res moratur, & poſt finitam Seſſionem curat Mareſchallus Nuntiorum Terreſtrium, ut reponantur in Archivo Varſchavienſi, unus vero regiorum Secretariorum ſollicitus eſt, ut prelo ſubjiciantur & ad Provinciarum Præſides mittantur. De præſenti materia hæc ex MSctis Actis Comitiorum didici: *Qvarta Conſtitutio erat de Legato Romam mittendo, cumqve in ea legebatur, qvod Nuntius Apoſtolicus e Polonia revocari a Pontif. Max. debeat, Reverendiſſimus Princeps, Primas Regni & Archi-Epiſcopus Geſnenſis, nomine totius Collegij Epiſcopalis, nec non Epiſcopus Varmiæ, cum S. R. Maj. agebant gratias pro non ita diu in ſe collatis dignitatibus, graviſſime monebant ſvadebantque, ut hoc punctum omitteretur; poſtea vero idem vehementer urgebat Cancellarius Lithvaniæ minor ut & Caſtellanus Vilnenſis, ſic ut contradicentes communi conſenſui pro retinendo hoc puncto duas per horas Conclave ſuſpenſum tenerent, tandem cum per vota Senatorum, Miniſtrorum & Nuntiorum Terreſtrium, præcipue autem motu vehementiſſimo totius Conclavis, qvod, etiamſi rumpi debeant Comitia, a propoſito ſuo recedere nolebat, emolliebantur ipſi & adprobabant.* Qvæ circa finem Actorum MSC. leguntur

leguntur, digna sunt, qvæ cum præsentibus & posteris communicentur, & ad solatium civitatis Thorunensis a me addantur huic relationi. Sunt hæc: *Præter has Constitutiones adprobatas, qvam plurima alia fuerunt scita privata, & in Conclavi Nuntiorum Terrestrium roborata, qvæ etiam Palatinatuum & Districtuum Præsides procurarunt; nempe Distributio novorum officiorum (in Curlandia,) Adprobatio fundatorum Cœnobiorum, speciatim Adprobatio Privilegiorum & fundationis Thorunensium Bernhardinorum, item Nobilitationes & Indiginatus qvibusdam a Rege & Ordinibus Reipubl, commendatis conferendi: Sed temporis penuria in Conclavi Senatorum non recitabantur, sed per recessum ad futura Comitia regni reservabantur.*

## §. VII.

Constitvtio tum temporis concepta, typisqve evulgata tanqvam Tertivm Pvnctvm, ex sermone polonico in latinum translata, hujus est tenoris: Qvemadmodum Nos semper Summos Pastores S. Ecclesiæ & Iurisdictionem Apostolicæ Sedis una cum Antecessoribus nostris usqve ad hæc tempora colere & observare soliti sumus; sic etiam in præsenti ad testificationem nostræ observantiæ, qva Nos & tota Respubl. Apostolicam Sedem complectimur, constituimus Legatum ad Papalem Sanctitatem mittere. Elegimus ergo Illustrissimum Dn. Iohannem a Tenczyn & Czekarzewice Tarlo, Palatinum Lublinensem, Starostam Grabovensem, Medizensem & Iasielensem, generalem locum tenentem in militia pedestri, per hunc nostrum Legatum, Sanctitatem Vestram rogaturi, ne nostram liberam Nationem in Iuribus Majestatis & Reipublicæ, vel Iure patronatus, lædi permittat; Præterea ut Sanct. Vestr. omnia præjudicia & molestias, qvæ a Monachis, qvi Abbatiis se obtrudunt, & aliis personis ecclesiasticis, quæ beneficia sine nostra regia præsentatione proprio ausu possident, perpeti cogimur; ut & omnes oppressiones Cracovienſis & aliorum Palatinatuum propter usuras. Poro civiles res per appellationes & citationes ad judicium ecclesiasticum Legati Apostolici ne rapiantur, qvippe notum quam quod notissimum est hæc ipsa fieri; nec non ceteros

abusus tollere & abrogare sanctissime secũ constituat: hoc effectu ut jurisdictio Legati Pontificii eo modo, quo in ceteris regnis Catholicæ Religioni addictis, circumscribatur omnesque abusus & attentata, qvæ summo cum detrimento ecclesiastici & civilis ordinum, speciatim contra dignitatem Legati nati in Polonia fiunt, exulare jubeat e Regno Poloniæ. Qvemqve ad finem obtinendum serio agemus, ut præsens Legatus Sanctitatis Vestræ sine mora revocetur. Hac data occasione renovamus & reassumimus omnes leges & constitutiones, qvibus jura nostra regia Patronatus tam in Poloniæ Regno, qvam Magno Ducatu Lithvaniæ, sunt corroborata, speciatim Statutum Alberti Anno 1496. Alexandri An. 1505. Sigismundi Augusti An. 1550. Constitutionem An. 1641. qvæ per Pacta & novissimam Conventionem An. 1717. confirmata est: Nec non Statutum contra Cortesanos An. 1538. & 1540. qvodque per Constitutionem An. 1641. renovatum. Qvæ cum ita sint, volumus ut omnes, qvi hæc lædunt, graviter puniantur. Præterea declaramus qvod neminem ad munia spiritualia, qvæ qvidem ad nostram præsentationem pertinent, sine nominatione nostra & præsentatione simus admissuri, neque permissuri, ut pro arbitratu suo agant renitentes, qvicquid libet; Ceterum mandamus nostris Satus Ministris & Ducibus Campestribus ut hoc Ius nostrum Regium exequantur, injustos possessores ejiciant, & ausibus Nuntiaturæ frena injiciant, si opus milites mittant, qvo eorum, qui his vetustissimis juribus & huic novæ Constitutioni regni se opponunt, obedientiamque denegant, bona, qvæ cum injuria nostri Iuris patronatus, usurpant, illis eripiantur vel seqvestrentur, sicque vis vi repellatur.

§. VIII.

Non possum non, qvin, antequam ad alia properem, hac in nova Constitutione allegatas veteres Constitutiones regni & Statuta majoris perspicuitatis causa hic inseram.

*Statutum ALBERTI Petricoviæ An. 1496.*

*Si qvispiam beneficia Iuris patronatus Regii, aut subditorum nostrorum in*

in præjudicium & derogationem Iuris patronatus nostri & subditorum eorundem nostrorum ex causa quacunque impetraverit: statuimus, decernimus, & mandamus, omni bonorum suorum, communium & privatorum, mobilium & immobilium sæcularium, ærario seu fisco vel mensæ nostræ applicandorum privatione, Ecclesiasticorum vero, aresto, confiscatione, & extra Regnum nostrum bannitione, immediate puniendos.

Statutum ALEXANDRI REGIS Radomiæ 1505.

Nequisquam, cujuscunque generis vel conditionis existat, audeat beneficium quodcunque nostri Iuris patronatus, quandocunque impetrare, vel oblatum a quovis suscipere, sine nostro consensu, præfatæ pœnæ exilij & confiscationis suorum bonorum, & parentum, ac propinquorum ejus.

EIVSDEM ibidem.

Fit nonnunquam, quia Cortesani & Cursores Romani beneficia, per terrigenas de bonis eorum, ad consolationem amicorum viventium & mortuorum, fundata impetrant: sicque non mediocribus jacturis pauperem nobilitatem, pro sui defensione juris impendentem, afficere consueverunt: quapropter decernimus, quod impetrantes beneficia apud Sedem Apostolicam Iuris patronatus nostri, & Dominorum Nobiliumque Sæcularium Regni nostri, puniantur in persona, & in bonis similiter amici & consanguinei impetrantium eorundem.

Punctum ex Pactis Conventis AVGVSTI REGIS.

Jura patronatus nostri in Episcopatus, Abbatias, Præposituras, collationis nostræ Regiæ, & omnia ecclesiastica beneficia, inviolabiter manu tenebimus, & legem de illis in integrum, sicut de Cortesanis, ad executionem effective deducemus, & contra eos, qui absque nominatione Regia, qualitunque modo in memorata beneficia audent, ut audebunt se intrudere, oppositionem exemplo Antecessorum nostrorum Regum Polonorum faciemus.

Et quia controversia de Iure patronatus Regio Abbatiarum, non pridem Romæ cœpta, impedit executionem nominationum Regiarum, spondemus hoc jus manu tenere, & procurare, ut nominati juxta jura sua in Abbatias a Seren. Antecessore nostro veniant ad possessionem illarum, excepta Abbatia Olivensi, quam personæ capaci, nobili, uti ad malam informationem pro tunc impetratam, conferemus, & Abbates juxta jura antiqua legationes sumptu suo, & non Reipublicæ, ad exteras nationes peragant.

CONSTITVTIO COMITIALIS An. 1699.

*Reassumendo ex instantia & consensu Ordinum omnia jura de Iure Patronatus in Statutis & in Volumine Legum expressa, illa insistendo pactis conventis, statim post Comitia indilate ad effectivam executionem deducemus salvis Abbatiis Pruthenicis.*

§. IX.

Redeo ad rem ipsam & QVARTO satisfacturus promisso Legati Apostolici Epistolam ad qvendam amicorum datam, tecum communico L. B. optime sciens, non in omnium eam esse manibus. Est hæc.

*EPISTOLA*

NUNCII APOSTOLICI

IN REGNO POLONIÆ AD AMICVM.

CUpere Te ostendis, Vir optime, idque amicitiæ nostræ qvodamodo deberi existimas, ut de iis, qvæ Grodnæ nuper dicta decretaque de me fuerunt, aliquid tecum sermonis instituam, ut qvo animo ea acceperim, perspicias atque inter tot accusationum qverelarumque capita, qvibus me nonnulli oppugnarunt, num qvid forte fuerit ex vero depromptum. Qvid dicam Vir optime? Pergrata est mihi cupiditas Tua, jucundum, quod de me non pro amicitia nostra judicandum tibi esse existimes; Sed ex rebus ipsis ac factis totaque adeo legationis huius Pontificiæ obeundæ ratione. Neque enim qvod aperte ac palam præ te fers, id solum probo tacitis etiam qvibusdam cogitationibus tuis, quas qvodammodo mihi videor intueri, vehementer assentior, iisque ut satisfaciam, officii mei esse duco. Qvid hoc est? dices. Mirari te etiam num incredibiliter puto, cum tanta hucusque fuerit inclytæ Polonorum nationis erga Nuntios Pontificios humanitas & pro eorum munere pietas, tantam nunc in me primum animorum conversionem exstitisse, ut non modo ad omnium sermonum invidiam subeundam projectus visus fuerim, sed etiam ut novo atque inusitato exemplo de me a Pontificia hac legatione revocando cum Pontifice Maximo agi placuerit, nec id privatis, ut fieri solet, litteris, sed lege palam lata, cui omnes Reipubl. ordines adsensi

senſi fuerunt. Ac; mirum ſane, ſi his omnibus ante oculos tuos geſtis non me portentum qvoddam hominis exiſtimaſti. Qvid autem? putasne me qvemquam ex iis, qui in me acerrime invecti ſunt, qvi legem ferendam ſvaſerunt, qvibus adjuvantibus eo res adducta eſt, ut ex ea omnia Reipublicæ conſilia pendere viderentur, re unquam aut verbo violaſſe? Peream male, ſi qvidquam eius generis memini, qvamquam omnes cogitationes jam diu eo intendo. Sane nihil a maioribus inſtitutiſque meis magis alienum. Dicam amplius; ex iis qvi in me ardere maxime viſi ſunt, permultos ne de facie qvidem novi, nec ipſi fortaſſe me; alios humaniſſimos ſemper ſum expertus, & ego nullam in eos officii partem unquam prætermiſi. Obſtupeſcere te eo magis video, & iterum me interrogando urgere: Qvid inquis hoc tandem eſt? Dic qvæſo aperte, qvid ſentis? Ego vero parebo voluntati tuæ & apertiſſime dicam. Qvod litteris Grodnenſibus, ad nos allatis, ſtatim ipſe mecum ſtatuebam, id permulti nunc certũ ſe habere clam affirmant, nonnulli palam teſtantur. Iacti in me Grodnæ ſermones a paucorum initis contra me conſiliis ad omnes manarunt. Horum iuſſu atque imperio cum facile multi exſtitiſſent, qui non ea de me dicerent, qvæ ipſi ſentirent, ſed qvæ imperata ſibi fuerant, ut eorũ voce & obtrectationibus reliqui in me incenderentur; Ita tandem Reipubl. ordines ad conferendam voluntatem incubuerunt, ut qvanquam permultos fuiſſe intelligam, qui de me haud paulo ſecus exiſtimarent, integrum tamen iis fuerit minime tanti me facere, ut mea cauſa omnia Reipubl. conſilia jacere paterentur. Eos ego nec id feciſſe qveror, & facile ignoſco. Re enim in eum locum utcunque tandem adducta, haud ægre a me impetraſſem, ut nobiliſſimæ gentis publica commoda meis ipſis rationibus anteponerem. Nunc tantum abeſt, ut eos etiam nunc in me male animatos putem, ut, qvorum tantis in me publicus conſenſus exſtitit, potiq nunc ſingulorum judicium ſponte adire non dubitẽ. Novum hoc dices & ante hunc diem inauditum, exterum Legatum, Pontificium Nuntium, non apud te ſolum, ſed apud omnes Reipubl.

ordines

ordines causam qvodammodo agere, obtrectatorum dicta refellere, & eorum ipsorum, qvos in se concitatos sentit, fidem appellare. Qvidni fatear? sed numquid usquam aut ullo tempore usitatum, qvod Grodnæ contra me gestum fuit? est autem in eo qvod instituo magnum operæ prætium. Permagni meæ interest, qvid Senatus, qvid Poloni Equites ad unum omnes de me existiment, nec de eorum Religione aut Iustitia ullo modo dubito. Acta modo Grodnensia in animum revocare velint; veri studium, qvo semper regi se voluerunt, in me etiam valere patiantur, Tecum me his litteris loqventem audiant. Grodnensium sermonum ipsiusque adeo Legis auctores paulisper silere iubeant, ne sibi obstrepant; suæ illis erunt dicendi vices, cum volent; tantum enim abest, ut ego eos tacere cupiam, ut datis ad Serenissimum Regem litteris nihil me magis cupere ostenderim, qvam ut me palam redarguant & causas tantæ in me asperitatis adhibitæ in apertum profere non dubitent. Hoc non mihi tantum deberi affirmo, sed Pontifici Maximo, Reipubl. Poloniæ, Europæ ipsi universæ. Nec vero ignorare te velim Vir optime, me eodem consilio his diebus ad omnes Poloniæ Episcopos, pro me in eos observantia, litteras dedisse, qvibus eos magnopere rogo, ut in omnem vitæ meæ, Legationisqve Pontificiæ administrandæ rationem diligenter inqvirant, ut me apud Pontificem Maximum, aut testimonio suo defendant, aut accusatione aggrediantur, Si contra sacros Canones aliquid fecisse videor, silentio ne premant, quo nihil jucundius accidere mihi potest: Eorum ad Pontificem Max. litteras videre me nolle. Num adversariis meis latus præbere apertius possum, aut mei defendendi angustiorem locum capere. Interea dum hi me in omnem partem versant, idque ipsum a me rogati dum obtrectatores mei ad collectarum in me accusationum capita mihi respondere cupienti palam facere recusant, (recusarunt etiam ut scis) aut forte deliberant, ego hoc pro meo iure palam omnibus affirmo, non alia de causa me in eorum malevolentiam incidisse, qvam qvod meo munere diligenter sancteque functus fuerim

fuerim. Tibi vero de sermonum, qvibus oppugnatus Grodnæ fui, causis, qvibus caput illud legis, de me revocando, niti vdetur, scire cupienti tempus jam est ut satisfaciam. Ab hoc incipiam, qvod non longam orationem desiderat; Neque enim id nunc mihi faciendum esse puto ut ostendam, nullum me|causarum genus sacræ Iurisdictionis judicio attribuere, sed sacrorum Canonum & Pontificiorum Decretorum authoritatem semper secutum fuisse; Id tantum dico, qvod hæc causa postulat: nullum me ullius generis causam unqvam attigisse, qvam non omnes ante me in Polonia Pontificii Nuntii ad se pertinere existimaverint, ac de iis ad se delatis re ipsa cognoverint. Ipsis hac in re adversariis meis omnia acta mea cognoscendi potestatem esse volo; Sancta apud nos servari non ignorant, versent ea omnia ac diligentissime recognoscant. Volo eos justos, me audatiorem videri, si novum ullum, nec unqvam auditum Decretum a me prodiisse invenerint. Æqvum omnino fuerat eos, anteqvam de lege conarentur, ea apud se parata habere, qvibus perlectis me redarguerent ac criminarentur. Patior tamen eos etiam lata jam lege nunc demum causas qværere, ob qvas eam ferri oportuerit. Si vero majorum meorum vestigia religiose sum secutus, nec ulla in re ab iis discessi, qvid causæ tandem est, ut, cum eos omnes humanissime tractaverint, & Iurisdictionem veriti fuerint, in me unum vehementer assurgant? Scio eorumq; rationes audire mihi contigit. Fac, me non ut ex meis superioribus aliqvem, iis utcunque fuisse permotum. Utrumne iis a nobis mos gerendus fuit, an potius Pontifici Max. sacrisqve Canonibus obtemperandum? Ego qvod eorum auctoritatem omnium postulatis antiqviorem habuerim, non modo me a nemine reprehendi posse arbitror, sed ab omnibus laude aliqva ornandum. Nec vero me unqvam Pontifex Max. utriusque Iurisdictionis fines regere jussit, sed positos tueri. Ac scis nonnullos Grodnæ graviter tulisse, cum intelligerent, me interdum Civilis Ordinis judicibus ipsiqve magno tribunali pro potestate mandasse, ne huius generis causam aliqvam, illuc forte allatam, cognosceret

gnoſceret. Falſum id omnino, & a noſtris inſtitutis alienum E-
qvidem ſi qvam forte cauſam intelligimus apud Civiles Iudices
diſceptari, de qva Sacrum Ordinem, Epiſcopos videlicet, cogno-
ſcere oportere exiſtimamus, eorum jus ac noſtrum tueri non
omittimus, etiam iis tacentibus. Non id circo tamen Civilibus
Iudicibus qvidqvam mandamus. Actorem tantummodo propo-
ſita ſacrorum Canonum authoritate monemus, ne jus ſuum, qvod
in ea re agitur, apud alios quam ſacri ordinis Iudices qværat.
Ut autem noſtram in hoc genere juriſdicendi poteſtatem ma-
jore qvadam opera tueremur, ſemel tantum nobis accidiſſe me-
moria teneo, in cauſa Craſſoskii e Diœceſi Luceorienſi Sacerdo-
tio & Collegio St. Iohannis Warſaviæ adſcripti. De eius mori-
bus atqve doctrina agebatur: qvibus de rebus ſi cognoſcendi po-
teſtas Epiſcopis adempta fuerit, qvid iis tandem ſupererit? Ita-
qve cum eius accuſatorem Kraſnodeskium ſolenni apud nos for-
mula antea monuiſſemus, totam poſtmodum cauſam ipſi magni
Tribunalis Judices ſacro ordini pro eorum ſapientia judicandum
reliqverunt. Atqve ego qvidem cum omnium, qvæ in ea cauſa
mihi agenda eſſe exiſtimabam, Magnum Poloniæ Cancellarium
participem facerem, ea is datis ad me litteris non obſcure pro-
bare viſus eſt. Nam Leopolenſis Controverſia inter eos urbis
Archiepiſcopum & Societatis Collegium, de qva ſermonis neſcio
qvid in Polonia fuit, partis utriuſqve voluntate Romam delata,
apud Pontificios Judices etiamnum verſatur. Vis ne vero nunc
ex me, Vir optime, intelligere, qvid ſit qvod Judiciorum, qvæ Aſ-
ſeſſorialia vocantur, Decretum neſcio qvod a Nobis antiqva-
tum fuiſſe magnis clamoribus nonnulli inculcarunt? Pergratum
mihi erit Te ea de re ſacri Conſiſtorii Warſavienſis Judicem Vi-
rum ornatiſſimum adire, nam comunis cauſa eſt. Intelliges
nec ipſum nec nos decretum antiqvaſſe illud, nec leviter qviddam
tentaſſe, qvod noſtri juris ſane non fuiſſet; Id tantum utrumqve,
ſenſiſſe, cauſam, de qva agebatur, nullo pacto ex eo pendere.
Satiſne Tibi videor, Vir optime, iis quæ hucuſque dixi, de ratio-
ne a me geſtæ Juriſdictionis ſatisfeciſſe? Curavi qvidem certe;

nec

nec solum accusationibus lege Grodnensi generatim in me conjectis respondi, sed etiam privatorum sermonibus, de qvibus certior factus fueram. Si qvid deinceps audiverim, parem ex me in respondendo operam desiderari non patiar. Nunc ad reliqva pergo invidiose contra me Grodnæ iactata. Thorunensibus Civibus, a sacris nostris alienis, me suffragatum fuisse, fuit qui affirmaret, nescio an plures, ac, qvantum in me fuit, egisse, ne in Consulem ac Præconsulem, capitis iam damnatos, supplicium sumi rite posset; Eo consilio me Patribus e Societate Iesu severe mandasse, ne institutam accusationem prosequerentur, aut jureiurando confirmarent. Ego omnium, quæ in ea causa gessi, non alium cognitorem aut testem volo, qvam Magnum ipsum Poloniæ Cancellarium. Meminit is profecto, qvam in sententiam semper secum locutus ea de re fuerim: Violatæ Religioni, neglectæ justitiæ, publicæ qvieti, satisfieri sententia oportere; Sacrorum nostrorum comoda, de qvibus Sereniss. Poloniæ Regum Decreta exstare ipse me docuerat, re ipsa tandem confirmanda: Postremo sangvinem non effundi me qvidem, pro vitæ meæ statu, magnopere cupere. Nunqvam ille non humanissime est adsensus, nunquam non idem omnino se exoptare testatus. Statim vero ac a Præsidii Thorunensis præfecto litteras accepi, qvibus a me petebat, ut, si qua re possem, Consulem ac Præconsulem a supplicio liberandos curarem, nulla interposita mora ad eum advolavi, litteras prælegi, cum esset una Iohannes Lipskius, Vir ornatissimus, jam nunc merito suo Poloniæ Pro-Cancellarius. Idem sibi maxime probari Magnus Cancellarius affirmavit; Ad id procurandum neminem sibi magis qvam me idoneum videri, ac qvod magis est, negotium facile confici posse, darem modo ad Patres Thorunenses litteras, qvibus peterem, ut ad jurata accusatione per Poloniæ leges iterum in reos instituenda, abstinerent; Id eorum & mei Ordinis Sanctitati convenire. Ejus consilio usus litteras dedi, nec eas ante Thorunium perferendas cuiquam tradidi, qvam ipse perlectas magnopere probasset, ostendissetque etiam, qvemadmodum mi-

hi cavendum esset, ne eæ Patribus Societatis serius forte aliquando qvam opus esset, redderentur. Qvæ deinceps sunt consecuta, nemo ignorat. Hoc ne tandem est, Thorunensi Decreto me adversatum fuisse, ut hac etiam de causa Grodnensium sermonum invidia inflammanda in me fuerit? Cum non omnes qvemadmodum se res habuisset, scire potuerint, justitiæ certe ac pietatis Magni Cancellarii esse debuit, hanc saltem tanti in me excitati incendii partem testimonio suo exstingvere. Nam justitiæ laudem, qvam is sibi in ea causa maximam, judicio etiam meo comparavit, maculatum iri putavit, si de misericordia adhibenda, mihi aliqvando assensus esse videretur. Qvid nunc dicam de iis, qvibus etsi Grodnensis conventus personavit, tamen huiusmodi sunt, ut ea de me credere nemo potuerit, nisi qvi aliquando me insanire existimavit? Responsis Decreto datis aspere me ac superbe de Republica Polonorum locutum fuisse: qvid absurdius? Responsio isthæc mea manibus omnium teritur; videant qvi latine aut gallice sciunt, me jam diu ab omnibus flagitare, ut mihi loca ostendere non graventur, ex qvibus hæc in me invidia depromitur; nihil hucusqve obtineo; Rationibus qvidem cum opus fuit pugnavi, qvas permulti gravissimi in Republ. Viri probarunt. Si vero nihil unqvam allatum contra fuisse affirmavi ab iis ipsis, qvi acerrime adversabantur, id affirmare vero potui, & etiam nunc affirmo. Reipublicæ Polonorum formam aliquando imbrobasse insimulor, eamqve unius imperio commutari consvetum magis fore. Hic vero est, in quo me delirum haberi volo, si vel unus testis afferri potest. Vestræ Vos, unusqvisqve Reipubl. incommoda qvis non enumerat, aliqvando id patriæ suæ amantissimis civibus fraudi nunqvam fuit. Nunc illud neqvaqvam a me expecta Vir optime, ut privatas etiam criminationes in qvotidianæ vitæ meæ rationem, in mores ipsos meos, Grodnæ conjectas & qvaqvaversum sparsas his litteris attingam. Cum enim pro muneris mei ratione in omnium luce iam diu versor, id semper curavi, ut gravitatem, modestiam, pudorem in omnibus rebus servarem, ut tamen si aliquando re-

laxandus

laxandus esset animus, ab hilaritate familiaris consvetudinis non abhorrerem. Ea de causa inter eos semper lætus recipi optavi, in quibus hæc coniungere facile possem. Et sane Procerum Polonorum Comitas mihi hanc facultatem dedit, malevorum levitas, aut impudentissima potius mendacia, quæ tamen nusqvam hucusqve sum expertus, semper contemnenda putavi, nec eos unquam magni faciendos existimavi, qvi obstipo capite & figentes lumina terram, supercilio ac pietatis specie omnia se regere arbitrantur, omnium se censores profitentur. Adversus hæc omnia non solum conscientiæ meæ, sed multo etiam magis testimonio eorum utor, qvibuscum qvotidie vivo: Inutilem vero & supervacaneam, adque adeo infinitam operam susciperem, si singula eorum male dicta refellere aggrederer; Neqve enim facile conquiescunt, qvi strenue mentiuntur. Eodem animo cum te esse putem, Vir optime, finem me his dicendi facere putato; etiamsi aliqvid tibi præterea legendum supereſſe videas. Nam quæ hucusque dixi, eo spectant, ut causam apud te meam agens, ipse existimari velim cum ipsa quasi Reipubl. locutus. Nunc me potentissimæ huius Reipubl. leges atque instituta interpretari veile quis putet! Aperte profiteor, me de iis, quæ dicere aggredior, nullum meum iudicium interponere, sed eorum, qui Patriæ leges norunt ac charas habent, exspectare. Nam cum superioribus diebus ex Magni Mareschalli authoritate severissime omnibus mandatum fuerit, ne legationis meæ Jurisdictionem ulla ex parte adnoscerent: Id si ii lege Grodnensi sine ulla dubitatione contineri putant, quæ de lege ipsa disputavi, huc etiam pertinent, nec singularem a me Orationem postulant. Verum tamen ego fando a nonnullis audivi, de his omnibus queri me omnino posse. Primum cum Grodnensis constitutio nihil aliud de me statuat, quam ut de hinc revocando me cum Pontifice Max. agatur, numne Magno Mareschallo potestatem Patriæ leges tribuant, ut de omni, quantum in ipso est, Jurisdictione mihi abroganda ipse statim videretur. Idque cum Varsavia ipse abesset, & omnes dolerent quod Sereniss. Rex nondum advenerit. Si

Reipubl. Ordinum ea mens fuisset, ut me non solum Summi Pontificis authoritate hinc revocatum cuperent, verum etiam Jurisdictione statim spoliatum, nonne huic eorum consilio locus esse debuerat in eo ipso legis capite, quo de me agitur. Nam quod postremis legis verbis constituitur, aliorsum manifesto pertinet, nec in me magis, qvam in omnes Pontificios Nuntios servanda decernuntur. Qvidqvid tamen de Jurisdictione mea impedienda Magnus Marschallus gravissimis præpositis pœnis mandavit, id totum e lege Grodnensi manare affirmavit & Senatorum, qvi Sereniss. Regi in consilio de more adsunt, jussu se omnia facere. Horum ego, qvod appellatur, consultum in manibus habeo, & mandata, qvæ Excellentiss. Mareschallis imponuntur, scio, id saltem de suo Mag. Pol. Mareschallum, ersi omnium, qvos ego qvidem noverim, Procerum Polonorum humanissimum, adiecisse constat, ut quod ab eo fieri oportere decernitur, tunc demum cum ipse Varsaviam venisset, permultis ante diebus facere festinaret. Utrũ vero eorũ Senatorũ, voluntati qvos tanto numero, Sereniss. Regi in qvotidiano consilio adesse nunqvam intellexi, Regni Mareschallos parere oporteat, eqvidem ignoro, & erant tunc temporis Grodnæ Senatores multo majori numero, qvos, qvi rem tantam moliebatur, cur in Senatum non vocaverit, alii fortasse scire volent, itemque qva causa Senatus Consultum nonnulli repudiarint, alii inviti subscripserint. Id ego animadverto, ne verbum quidem in hoc Senatus consulto esse, qvo ostendatur Sereniss. ipsum Regem consilium ab iis initum sibique datum probasse. Alterum de qvo in toto hoc negotio qveri me posse arbitror, huiusmodi est. Nullum in Regni consiliis latam legem rite promulgari, nullam in mores induci posse intelligo, antequam de ea ad Comitia Provincialia relatum fuerit eamque ea ratam habuerint. Jus hoc in Polonia obtinere semperque inviolatum fuisse, graves auctores ac testes habeo. Qvod si sit, non dubito qvin permulti futuri sint, qvi, illud non mea causa, sed sua, magno animo vindicent. Ut ad me redeam, habes optime Vir, qvæ de Grodnensibus sermonibus

nibus, qvæ de lege contra me lata, a me dici potuerunt. Nunc non illud a te peto, ut Tecum ſtatuas utrum ne ulla tot criminationum macula reliqua ſit, quam non omnino diluerim: Nullam ego puto; nihil tamen nunc aliud agitur, quam ut judices, ſatisne cauſæ fuerit, ut de me a pontificia hac legatione revocando non privatis litteris, ſed publica lege lata, novo atque inuſitato more, ageretur. Qvorſum enim res eat, etiam me tacente vides. Apud omnes conſtat in Legatos nihil ſtatui poſſe, qvod gentium Juri adverſatur, idque Jus ratione ac politicorum populorum moribus continetur, qvorum multo maior vis eſt, qvam ſcriptarum legum. Qvicquid igitur novum eſt, reprehendi eo jure poteſt. Ubinam vero gentium lata publica lege legatorum ullus legatione dejectus aliquando fuit? an non illud ſaltem æqvum ac neceſſarium fuerat, ut, quoniam datæ iam ad Pontificem Max. hac de re litteræ fuerant, eius reſponſum atque adeo judicium expectarent non mea, ſed eius ipſius cauſa? Qvid autem eſt, quod partim Grodnenſi lege cum omnes apud me cauſarum authores aditu Pontificii huius Tribunalis arcerentur, Cancellariis ipſis meis ſeveriſſime vetitum fuit, ne ſuo apud me munere fungi pergerent. Qvis vero ignorat Legatorum familiares ea conditione ubique gentium eſſe ac Legati ipſi? Qva igitur ratione gentium Jus hoc etiam capite violatum non fuiſſe defendi poteſt? Oſtendant præterea ſi qvi poſſunt, quo Capite Grodnenſi conſtitutionis de Juriſdictione mea impedienda, & de Cancellariis meis opera ſua prohibendis decernatur, idque graviſſimarum pœnarum denunciatione? Nam utrum Mareſchallus Mag. Poloniæ ea omnia Varſavia abſens mandare per Poloniæ leges potuerit, alii melius iudicabunt. Videant itaque Senatores, videant Eqvites Poloni, utrum id Patriæ leges ferant, utrũ eorum mens fuerit, quod in nullum unquam legatum uſurpatum fuit, Nuntium Pontificium lata publica lege perſtringere ac novum cunctis gentibus exemplum condere, qvod nulla profecto ſequeretur gens. Qvanquam magna eorum omnium erga me humanitas fuit, tamen & nonnulli iam omnem erga me

abieciſſe

abieciſſe videntur; & eam nunc mihi uſui eſſe volo. Eſt aliquid in hoc malo comodi: nolo qvidquam, benevolentiæ aut humanitatis cauſa decerni, ad res ipſas animos omnium revoco, Ingenuos homines ac nobiliſſimo loco natos, tanquam ignotos adeo, quos eo ingenio eſſe ſcio, non ut unius aut paucorum authoritatem, ne dicam dominatum, pati poſſint, ſed omnia religione, legibus, ratione metiantur. Tu quoniam adverſarios meos iam Grodnæ audiſti, & me, nunc de me dicentem, non es aſpernatus, de tota cauſa recte iudicare poteris. Ego iudicium Tuum expecto & Te amantiſſime ſalvere iubeo.

§. X.

Qvam dolenter tulerit Pontif. Max. hanc Conſtitutionem regni, cognoſci poteſt ex eiusdem litteris ad Regem Pol. & Epiſcopos Regni miſſis, quarum tres ſequentes huic indam paragrapho

# BENEDICTUS XIII. PAPA

*CHariſſime in Chriſto fili noſter. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Qvi hactenus ex inſigni religione & conſpicua pietate Regni iſtius atqve ex ordinum præcipua in hanc ſacram ſedem filiali obſervantia gratiſſimum inter Apoſtolicas curas lenimentum accipiebamus, nuper incredibilem dolorem ſuſcepimus, cum per litteras Nobilis fratris Vincentii Archiepiſcopi Trapezuntini atqve huius ſanctæ Sedis Nuntij alia omnia didicimus, ea nimirum in noviſſimis ordinum comitiis eſſe attentata, qua a priſtina pietatis polonæ laude atqve ab avito Apoſtolica auctoritatis obſeqvio longiſſime abſunt. Hæc autem ne ſolis literarum ſignificationibus animum noſtrum confoderent, ſed etiam eorum audientibus graviora vulnera imponerent, legationem qvoque ad Nos deſignatam valde mirantes accepimus. Vides porro Chariſſime in Chriſto fili noſter, qvas Nobis officii partes imponat ſervitutis noſtræ miniſterium & qvibus æterno Iudicii rationibus obnoxij eſſemus, ſi contemptam ejusmodi Nobilis fratris perſonam & dignitatem violatam apoſtolatusque Noſtri Reverentiam & Sanctuarij Iura tueri & vindicare negligeremus. In hac autem moleſtiſſima cogitatione ad Zelum Majeſtatis Tuæ omnem reſtituendæ noſtræ tranqvillitatis*

qvillitatis fiduciam conferimus, & igitur magnopere hortamur, ut præpositerum comitiorum statutum revocare omnino nitaris. Neqve enim aliter Legatos excipere, (qvod sapientia tua satis prospicit) neqve silere in tanto Christi fidelium scandalo, integrum nobis erit. Rex autem cœlorum religionem ac fortitudinem Tuam ac Sacræ Ecclesiæ tutelam novis incrementis adaugeat, qvæ procul dubio ad Regni tui Regiæqve Domus felicitatem redundabit, ac Majestati Tuæ Benedictionem Apostolicam amantissime impertimur. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris Die. 4. Jan. An. 1727.

Pontificatus Nostri Anni 3.

*Carolus Archiepiscopus Emissenus.*

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro. Poloniæ Regi illuſtri.

# BENEDICTUS XIII. PAPA.

CHariſſime in Chriſto fili noſter. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum primum accepimus intolerandam Grodnenſium Comitiorum Conſtitutionem adverſus Apoſtolicam hujus Sacræ Sedis authoritatem & Nobilis fratris Vincentij, Archiepiſcopi Trapezuntini, ejusdem ſacram authoritatem, apud te Nuntij dignitatem, perſonam & merita temere conceptam, incredibili dolore perculſi ſumus, priſtinam præſertim Polonicæ gentis obedientiam ac reverentiam & digniſſimum Majeſtatis Tuæ pro Sacra hac Romana Eccleſia ſtudium animo repetentes. Statim proinde litteras noſtræ moleſtiæ & amaritudinis Teſtes ad Majeſtatem Tuam dedimus, paterna fiducia freti, fore, ut talem Te in præpoſteris cœptis emendandis haberemus, qvalem hactenus ingenti cum Tui nominis & Regni gloria ſenſimus, ac prædicavimus. At dum acerbiſſimam curam ea ſpes teneret, ex Regiæ epiſtolæ ſignificationibus & poſtulatis jam ſuſcepti doloris renovata ſunt vulnera, qvæ neque ſilere Nos in tanta Apoſtolatus Chriſti & Apoſtolici Nuntij injuria, neque ullum emittere ſolicitudinis & authoritatis effectum ſinunt; Pro tua tamen eximia virtute & filiali erga hanc Sacram Sedem Noſque ipſos obſervantia, proque ampliſſimi Regni pietate futurum plane confidimus, ut præviis conſiliis, abjectis dilatisque actis, non minus Polonicæ claritati, qvam Miniſterio Noſtro injurioſis, nova laudis incrementa ad ſapientiæ & religionis Tuæ celebritatem accedant. Cæterum Legatos qvominus excipiamus, niſi poſt retractatam Comitiorum conſti-

*tutionem, neqve Divini Honoris rationes, neqve Ministerij Nostri debitum, neqve hujus Sacræ Sedis Jura patiuntur. Hoc igitur a Majestate Tua ob gravissimam, qvam pastorum Principi reddituri sumus rationem, atque ob Regij Patrocinij obstrictam fidem deposcimus & exspectamus, ne apud posteros monumentum exstet, qvo religiosissima Polonorum Natio ab avita unqvam reverentia decessisse videatur. Qvod rerum perperam gestarum remedium molestiæque novæ solatium dum a Zelo Tuo præstolamur, Majest. Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, Die 18i Jan. An. 1727.*

Pontificatus Nostri Anni 3.

*Carolus Archiepiscopus Emissenus.*

Venerabilibus fratribus, Archi-Episcopis & Episcopis Poloniæ &c

# BENEDICTUS XIII. PAPA.

*VEnerabiles fratres; Salutem & Apostolicam Benedictionem: Ad gravissimas animi nostri solicitudines, qvibus urgemur ac jactamur propter ecclesiasticas rationes, periculis undiqve circumscriptas, illa longe gravior accessit, qvod in Comitiis istius Regni nuper habitis multa esse constituta rescivimus qer litteras Nobilis fratris Archiepiscopi Trapezuntini, Nostri atqve hujus Sanctæ Sedis Nuntij, a Poloni nominis pietate valde aliena, atqve Apostolicæ auctoritati, vestræqve erga Beatum Petrum reverentiæ vehementer infensa. Qvod qvidem eo Nobis accidit molestius, qvo præclarior opinio, qvam de vestra Episcopali fortitudine gerebamus. Nunqvam certe futurum suspicabamur, ut insignes ecclesiarum rectores vim & manus sanctuario Dei temere illatas propulsare negligerent, nec adscenderent ex adverso & pro Domo Dei murum opponere detrectarent; adhuc tamen spes luculenta nos sustentat, fore, ut omnes pastoralis Zeli vires intendatis ad tantum Divini Honoris detrimentum vestræque dignitatis dedecus avertendum. Satagite igitur, venerabiles fratres, vestraque auctoritate & officiis perficite, ut Comitiorum statutum, non minus vobis qvam huic Sanctæ Sedi & in suis juribus & in Apostolici Nuntii persona, atqve adeo Divino Numini injuriosum penitus antiqvetur. Cæterum perversi consilij auctores vehementer mirati sumus absurdis cœptis non coborruisse, ut legationem*

*onem etiam ad hanc sedem designarent, & cum præposteris mandatis exceptum iri a nobis Legatos sibi persvaderent. Fructum interea vestræ fidei authoritati parem exspectamus, ac fraternitatibus vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat Romæ D. 9. Jan. 1727.*

## §. XI.

Statim ac Rex Pol. redierat Varschaviam, pro incomparabili prudentia & moderatione sua laborabat hos in aula Pont. Max. excitatos componere motus, & non solum Legato Apostolico restituebat solitam jurisdictionem, illi per Mag. Mareschallum Regni ex Decreto Senatorum interdictam, sed qvoque has exarabat ad Papam litteras.

Post oscula pedum Sanctitatis Vestræ, Regni ac Dominiorum meorum humillimam commendationem.

*Cvm ad literas post Comitia Generalia Grodnensia feliciter cum ingenti solatio totius Regni concluſa, lætiori spe a Sanctitate Vestra præstolarer responsorias, non absqve sensibili amaritudine mea accepi bina brevia complectentia peculiarem contristati animi Sanctitatis Vestræ displicentiam eo dolentius, qvod illam non tam veritas delatorum, qvam secus repræsentatæ cum injuria mea Ordinumqve Reipublicæ informationes præpostere causaverunt. Nihil enim antiqvius & fortius Gens Polona ex innata pietate circa formandas leges suas consvevit tueri ac propugnare, qvam Religionem Orthodoxam vicariamqve Christi potestatem. Parem professio ac inconteſtabilem Zelum demonstravit qvoque in prædictis Comitiis, postqvam supplices præces unanimi assensu per Magnum Legatum cum filiali devotione ac respectu Sanctitatis Vestræ, tanquam Patri communi, exponendas decrevit: Neque quidpiam temere aut perperam circa constitutionem sive executionem hujus legis contra auctoritatem Pontificiam Sanctitatis Vestræ illiusque tribunal & Apostolicum ritum egit, sed nonnisi practicato toties in loco & apud alias Catholicas potentias exemplo contra intolerabiles aggravationes, indemnitati solummodo jurium suorum ad interim prospexit, donec per paternam Sanctitatis Vestræ vigilantiam iisdem restabiliendis integreque servandis provisum fuerit, tum ne facile satis diu gravia præjudicia liberæ nationi toleranti graviora adhuc præscriberentur, & ne anteriores dissimulando injurias novas videremur in-*

*vitare. Non dubito longe justiores Ministrorum Satus Regni mei remonstrationes ad benignissimas aures Sanctitatis Vestræ jam pervenisse, ex quibus sicut affectata siniſtrarum relationum pravitas, ita genuina consiliorum Reipubl. rectitudo plus quam clare elucescere debuerunt. Insuper etiam præsens reverentia ac facilitas mea circa relaxationem interdictionis nuper intimatæ pro certo comprobarunt, quam promptam deferentiam Sanctitatis Vestræ desiderio gerere cupiam, in fiducia nihilominus impetrandæ ex justitia Sanctitatis Vestræ desideratæ a me & ordinibus Reipubl. satisfactionis in præfatis literis Grodnæ datis expressæ, nec non recuperandæ existimationis priscæ, quam Regnum Polonum, inexpugnabile Christianitatis antemurale, per prædecessores meos tot tantisque victoriis ac dispendiis contra hostes ecclesiæ sibi promeruit, mererique una mecum nunquam desistet: Qui Apostolicam Benedictionem implorando reverenaissime maneo. Dab. Varsaviæ D. 30. Martj An. 1727.*

## §. XII.

Tandem me converto ad V. VI. & VII. Articvlvm hujus Disputatiunculæ, *Originem scil. & Progressus hujus controversiæ ante nostra tempora*: & ut eo firmiorem mihi fidem L. B. des, non vereor Autorem proferre, cui omnia refero accepta. Est is in orbe eruditorum celeberrimus & de Regno Poloniæ optime meritus DN. ANDREAS CHRYSOSTOMUS in Zaluskie ZAŁUSKI beatæ memoriæ *primum Episcopus Kijovienſis, tum Plocenſis, deinde Varmiæ, S. R. Imp. Princeps & Supremus Regni Poloniæ Cancellarius.* Ejus vitæ curriculum & memorabilia fata L. B. in Doct. Lengnichii, Gedanenſis Hiſtoriographi, Bibliotheca Polonica pag. 44. ſtylo jocoſo ſcriptũ legere poteſt. Ego ex Pruſſiæ Doctæ Part. I. pag. 94. quod Author ſerio de Viro tanto, licet paucis, ſcripſerit ſequentia hauriam: Noſtri Zaluski Pater fuit Alexander Zaluski, Palatinus Ravenſis, & Mater Anna Olczewska, ſoror Andreæ Olczewski, primum Epiſcopi Culmenſis & Procancellarii, poſtea Archiepiſcopi Gneſnenſis & Primatis Regni. Anno 1667. ſtudiorum cauſa Viennam proficiſcebatur, abhinc vero Graeziam in Styria ſe conferebat, ubi lingvam germanicam, Jus Civile & Canonicum didicit, Non ita diu moratus ibidem recurrebat in Poloni-

Poloniam, ut Ceremoniis abdicationis Regis Iohannis Casimiri intereſſet. An. 1669. Iter ingreſſus eſt per Belgium ad Galliam & Italiam, pauloque ante mortem Regis Michaelis redux in patriam Canonicus fiebat Cracoviæ, & Legatus in Hiſpaniam & Portugalliam mittebatur, ut expeteret ſubſidia a Regibus ad bellum gerendum contra Turcas, ſimulatque Ordinis aurei velleris ſignum, qvo Rex Hiſpaniæ Regem Michaelem donarat, redderet. Poſtqvam venerat in Hiſpaniam, neqve cito Regem adire permittebatur illi, veniam petebat in Portugalliam proficiſcendi. Qva impetrata Lisbonæ Secretarium Status conveniebat, qvi ignorabat utrum Polonia eſſet nomen urbis, an regionis. Colloqvebatur cum Rege Petro. & cum Miniſter qvidam ſtatus Regi teſtamento 800000. Joachimicos ſcripſerat, hæc ſumma illi promittebatur: Verum Nuntius Apoſtolicus eandem illi eripiebat, efficiebatqve ut infectis rebus rediret Madritum. Hic vix ac ne vix illi audientia eſt facta, qvippe aula Hiſpanica moleſte ferebat, qvod Poloni Ducem Lotharingiæ in Electione Regia præterierint. Reddebat ergo ornamentum ordinis aurei velleris; Subſidia autem nulla accipiebat ad continuandum bellum. Qvamobrem a Rege Iohanne III. juſſus iter direxit ad Galliam, ut Regi Electionem Iohannis III. faceret notam. Tres hebdomadas in eo regno commoratus, Caliſii navem conſcendens Gedanumqve delatus in Poloniam rediit. Patruelis Olczewski hinc confecrabat illum Diaconum & Sacerdotem, ipſe vero Thorunium ſe recepiebat, ut ciſtulam ex Hiſpania allatam Reginæ Viduæ Michaelis Eleonoræ traderet. His expeditis rebus aulæ ſe commendabat, variaqve ad expedienda negotia eius opera utebatur Rex Iohannes III. Interim moriebatur Olczewski, Primas Regni, ipſeque adeo ſolus ſalutis ſuæ agere curam incipiens, varia hunc in finem munera Reginæ offerri curabat; qvibus factum, ut illius Cancellarius An. 1683. eligeretur, a Rege autem Epiſcopus Kijovienſis & Czernicovienſis nominaretur. Poſtea vero excidebat gratia Reginæ & abdicare ſe Cancellarii munere cogebatur; qvod illa ipſa inconſtantis eſſet animi, feminarum du-

arum familiarium voluntatibus obtemperaret in omnibus, eum In ſuſpicionem adduceret, qvaſi nimis faveret familiæ Radzivi-liæ cui nolebat Regina, nec non qvod impediſſet connubium fi-lii Regii Iacobi cum Principe Radzivilia, tandem cum Turcis il-li interceſſiſſet commercium litterarum cauſaretur: Contra has & alias accuſationes defendebat ſe Zaluski ſcripto qvodam. Rex qvidem laborabat reconciliare noſtrumReginæ; ſed neqvaqvam; ſucceſſu tamen temporis veniam impetrabat ſupplex factus Re-ginæ. Vacuum erat poſt hæc officium Supremi Cancellarii Regni, qvod Rex noſtro conferre decreverat; ſed Regina præferebat il-li Dœnhofium: qva ex re ut cederet &Præpoſitura Plocenſi conten-tus viveret neceſſe erat Zaluskio: Argumenta, qvibus perſuaſit Rex Zaluskio digna ſunt qvæ ex Epiſtolarum fol. 1134. repetan-tur. *Noſti Iura Matrimonialia, nec ignoras, qvam impotenter Regi-na velit, qvicquid vult. In manibus ergo tuis eſt, ut vel inqvies inter aſſidua cum mulitre jurgia vivam, vel ſine his qvietus agam: jam illa alteri ſuum addixit Suffragium, cui niſi munus contulero, indubie ne ha-bitare quidem mecum voluerit, &c.* Poſt hæc Epiſcopus Cuiavien-ſis illum declarabat Coadiutorem ſuum; mortuo autem hoc Re-gina Zaluskio anteponebat Damskium, & noſter ſolatii loco ac-cipiebat Epiſcopatum Plocenſem. Cum An. 1692. Elector Ba-variæ filiam Principem Iohannis III. ambiret, eligebatur Zalu-ski Commiſſarius præcipuus, qvi pacta nuptialia iniret & Lega-tus extraordinarius ſponſam comitaretur Bruxellas traderetqve ſponſo. Poſt reditum moriebatur Rex Iohannes, maximamqve Zaluski navabat operam, ut ex filiis Regis defuncti qvidam eli-geretur Rex. Ex ea re graviter commendabat Regiam Domum Palatinatui Plocenſi, cuius erat Epiſcopus, ſed cum ſpes eum de-ſtitueret, Principis Contii mentionem iniiciebat, qvæ gratiſſima erat. Ab huius igitur recens electi ſtabat partibus ipſique ad Gedanum appulſo non ſolum gratulabatur, ſed qvoqve conſilia dabat ad capeſſendum regnum utiliſſima; nihilominus fiebat ut Princeps Conty Regno cedere cogeretur a Saxonicis militibus & noſter hinc Zaluski redire ad Epiſcopatum ſeqve ſubmittere

Auguſto

Augusto, Regi Pol. Qvo facto Augustus illi offerebat Episcopatum Varmiæ in Prussia his sub conditionibus, ut Zaluski in præsenti Episcopus Varmiæ esset, mortuo vero Vladislavienſi Episcopo abdicans Varmienſi, succederet, Varmienſem vero Cardinali Principique Saxo Zicenſi cederet. Qvas vero licet conditiones recusaret, nihilomin9 non ita diu postaccipiebat hunc Episcopatum Varmienſem, eiusqve frater Plocenſem. Postqvam lites Brandenburgici Electoris cum urbe Elbinga amice componebantur, noster Commissarius erat Princeps ad evacuationem, indeqve proficiscebatur Romam; eo consilio ut peteret veniam a Pontif. Max. in Monasterio qvodam vitam agendi privatam. Sed irrita erant hæc consilia & redire in Poloniam ad Episcopatus regimen iubebatur. Propter ius indigenatus Prussici, qvod in Polonia natus digna pecuniæ summa acqvirere sibi nolebat, magnas subibat molestias, usque adeo, ut cum An. 1707. Comitia terrarum Prussiæ dirigere Præsidis auctoritate vellet eadem rumperentur. Tandem fiebat Magnus Cancellarius Regni, natus Primatem Regni obscurius inimicum, cui contra omni humanitate obviam ibat, totusqve in eo erat ut Regi Augusto reconliaret. An. 1705. Gratias Regi Augusti excidens Dresdæ arresto innodabatur: graviter hoc ferenti Pontif. Max. traditus & iter Romam versus ingressus ingredi urbem prohibebatur; jussus Anconæ subsistere usque ad An. 1706. qvo Romam veniebat & An. 1707. in integrum restituebatur. Hinc Vratislaviam se conferens & porro in Saxoniam, ubi novus Rex Stanislaus illi dignitatem magni Cancellarii adimebat & Iablonowski, Palatino Russiæ, conferebat; Discedebat ergo ex Saxonia, & in Episcopatu suo qvietam agebat vitam usqve dum Augustus An. 1709. Regium Poloniæ solium sibi vindicarit, nostroqve pristinos honores Cancellarii Regni Supremi reddiderit. Qva dignitate ampliſſima exornatus Kal. Maii An. 1711. ætat. 61. diem obiit supremum. Huius Zaluski *Epistolas historico-familiares* fundamenti loco ponam exantlandi laborios, hac conditione, qvod nimis copiosas & supervacaneus sim seposituras narrationes, tantumqve

ad

ad rem qvæ faciunt in compendium coniecturus. De his igitur rebus scitu necessariis agit in *Tom. II. Epist. CXXX. fol. 708. seqq.* eiusque Epitomata relatio de hac controversia sic se habet:

Qvamdiu Regulares, regulariter vivebant, non inqvietabantur in Electionibus suorum Abbatum: Dum vero cum tempore intepuerunt, ac varia & Regioni huic & Religioni Orthodoxæ causare cœperunt; Reges etiam Poloniæ incipiendo a Casimiro III. in qvantum nobis ex scripturis innotescere potuit, providendo securitati Regni & ne pie suorum Antecessorum & Vasallorum fundationes labefactarentur, manum electionibus Abbatum apponere easqve primum statutis circumscribere, deinde nominationibus restringere cœperunt, tum iure supremi Dominii, tum fundationis & dotationis, tum simili aliorum Regum Catholicorum exemplo, tum præjudicato desumpto ab electione Episcoporum ob similes causas Capitulis adempta, tum privilegio seu saltem conniventia ac tacita approbatione Sedis Apostolicæ, quæ malebat Abbates nominari a Regibus, qvam eos cum Monachis inlfici hæresibus aliisqve excessibus.

Satis qvidem civiliter Reges cum Monachis procedebant, dum electionem eorum non totaliter tollebant, sed qvem denominabant, eum per literas Monachis commendabant, imo & delegatos suos ad illos mittebant cum instantia, ut illum nominatum eligerent. Monachi etiam pari certabant cum Regibus civilitate & reverentia, semper eum eligendo quem Rex præsentabat. Qvodsi aliqvando contigisset, ut alium eligerent, Reges eum adire possessionem nullo modo patiebantur, imo etiam per vim exturbabant.

Nominabant autem Reges aliquando ipsosmet illius Religionis professos, qvæ proprie dicitur electio, & taliter electi a loci ordinario benedicebantur sine recursu ad Sedem Apostolicam. Aliqvando nominabantur Prælati sæculares, volentes habitum & professionem illius ordinis assumere, & hæc quidem de jure vocatur postulatio. Sed etiam tales ordinarie sine recursu ad S. Sedem novitiatu absoluto & facta professione a loci ordinario benedicebantur & capiebant Abbatiæ possessionem. Demum nominabantur

minabantur a Regibus Episcopi seu alii Prælati in Administratores perpetuos seu Commendatorios Abbates [ut in iure vocantur] Tales nunqvam capiebant possessiones Abbatiæ absque provisione Apostolica per Bullam.

Vladislaus IV. edidit qvoddam diploma, qvas Abbatias in titulum professis, qvas professandis, qvas in commendam erat collaturus. Sed & ipse & Successor eius Casimirus ad eam Ordinationem se non alligabant, sed pro bene placito Abbatias qvascunque sive in titulum sive in commendam per nominationes suas conferebant, sede Apostolica eas nominationes non improbante sed omnes admittente, Imo qvod maius est, in Bullis suis nullam electionis Monachorum mentionem faciente, sed tantum Regiæ præsentationis, vigore cuius Abbatiam conferri a se profitebantur.

Verum tempore Regis Michaëlis grandis exorta est tempestas, qvam privata inter qvosdam Episcopos commovit dissensio, qvæ occasionem dedit Romæ & Monachis dubitandi de Jure patronatus Regio, vigore cuius erat collata Abbatia Andræjoviensis Olszovio Procancellario tunc Regni & Episcopo Culmensi, ita ut plurimas a Curia Romana passus sit circa possessionem eius oppositiones.

Successit Michaeli Ioannes III. & offendens turbatum Juris patronatus Regii qvoad Abbatias negotium, serio cum Romana Curia de hoc agere cœpit per Ducem Radzivilium, Zbascium Episcopum pro tunc Premislien sem, Swiecicium Referendarium Regni, ad urbem in variis negotiis ablegatos, qvorum negotiationis in puncto non extant vestigia: Hoc solum certum, qvod nihil cœpti obtinuerunt. Interim tamen ad nominationem Regis aliqvæ expediebantur Abbatiæ, etiam in commendam, uti Wachocensis, in favorem Illustr. D. Andreæ Zaluski Episcopi Kijovien sis An. 1682. aliæqve nonnullæ. Volens autem Rex aliqvid habere stabile & non controversum, expedivit ad urbem Dönhoffium Abbatem Claræ Tumbæ titulo Ablegati An. 1685. qvi supplicavit Papæ nomine Regis, ut posset in perpetuum no-

minare in commendam ad 15. Abbatias variorum ordinum, relictis qvinqve liberæ electioni Monachorum. Verum contra hanc propositionem Monachi Acharonta moverunt, & rationes in contrarium typis impressas S. Congregationi Consistoriali exhibuerunt cum iniuria & Majestatis & veritatis. Qvapropter nemine Jvs Regium strenue propugnante, nihil est impetratum, aut concluſum.

Anno vero seqventi 1686. Cistercienses in Capitulo suo convenerunt & Regi se ita submiserunt, ut ex 15. eorum Abbatiis ad primas qvinque nominaret sæculares Prælatos in commendam. Ad alias quinque sæculares qvidem ut Rex nominaret, sed cum obligatione Professionis. Ad reliqvas qvinqve ut Monachi ipsi independenter a nominatione regia Abbatem titularem e medio sui eligerent. Verum neque hoc ullum sortitum est effectum, nescio qvam ob causam.

Tandem dum nominationes regiæ ad qvasdam Abbatias retardarentur, misit Rex ad urbem Patrem Vota Soc. Iesu Theologum suum, probatæ activitatis & experientiæ virum. Qvi veniens Romam An. 1692. ita strenue decertare cœpit pro Jure regio, ut post annum & alterum Innocentius XII. declaraverit ad satisfaciendum Regi, omnes Abbatias dividere, duosque Abbates in singulis Abbatiis erigere, unum titularem, alterum commendatarium. Proventus etiam qvadrifariam dispertiri ita, ut una pars Abbati titulari, altera commendatario, tertia Monachis, qvarta fabricæ cessura esset. Executionem huius suæ voluntatis Pontifex commisit Nuntio suo & Cardinali Radzieiowski. Verumqvia Regi & Senatui usqveqvaqve hæc decisio placuit, imo forsan & Curia Romana non libenter eam in executione vidisset, ingentesque occurrebant difficultates; Machina hæc ipsa sua mole corruit vix sui vestigio relicto.

Succedente interim fato Ioannis III. Augustus Rex per pacta conventa stricte obligatus erat, ut eam Juris patronatus causam resuscitaret, non tam disputando, qvam statuta de Cortesanis exeqvendo, & ut nominati a Ioanne III. ad possessionem Abbatiarum venirent

venirent procurando, nec permittendo, ut qvis sine nominatione regia gaudeat usu fructu bonorum Abbatialium.

Tandem hoc an. 1699. in Generalibus Regni Comitiis fit ingens omnium fremitus & indignatio, qvod plures nominati Regii ad Abbatias, a multis annis non sint in earum possessione, & e contra aliqvi sine Regia nominatione fruantur bonis. Formatur rigorosa lex, ut bona per Commissarios Regios recipiantur, & administrentur usqve ad expeditionem a Sede Apostolica obtinendam; intrusi vero sine nominatione ut expellantur.

Verum qvidem, quod lex ad instantiam Domini Prependowski Palatini tunc Mariæburgensis, qvi primus tunc erat Regis Minister, summe deprecantis, ne per eam legem expeditio coadiutoriæ Olivensis in personam fratris eius impediretur, immutata est; Solumque generice statutum est, ut omnia jura de Jure patronatus in statutis & in volumine legum expressa insistendo pactis conventis statim post Comitia indilate efficaci executioni demandarentur salvis Abbatiis Pruthenicis, qvarum sunt duæ, Peplinensis & Olivensis, pro qua zelabat Prependovicius. Qvæ qvidem lex satis gravis est, cum involvat pœnam exilii, infamiæ, & confiscationis bonorum omnium, qvicunque sine nominatione Regia Abbatias possideret.

## §. XIII.

Ex hoc epitome Zaluskiano illi, qvi altius rem repetere nolunt, satis pro instituti sui ratione cognoscere possunt, qvomodo se habeat controversia de Jure patronatus. In usum vero eorum, qui satiati & diligentissime edocti recedere cupiunt, pergam ex eiusdem Zaluski Epistola excerpere seqventia:

Nihil est tam excelsum, quod non cadat: tam firmum, qvod mutationem non admittat, nec adeo in omnem armatum casum, ut nulla alternantis fortunæ viciſſitudini qvandoque sit obnoxium, quod bene expressit Poëta:

*Sic omnia verti*
*Cernimus, atque alias assumere pondera gentes,*
*Concidere has!*

Sive id accidat naturæ qvadam infirmitate, & ordine, quæ, eiusdem conditionis cum sit impatiens & status, continuo agitatur motu; atque ut a primis incrementis ad perfectionis nititur contendere fastigium, sic deinceps, ab illo sui incrementi, & summitatis culmine iisdem, qvibus ascenderat gradibus, devolvitur; sive id fiat a deflexo rerum humanarum cursu, qvi imperfectioni proclivior, maiori impetu ad deteriora prolabitur. Atque inde sæpius accidit, ut quæ prius bene conveniebant incrementis, non bene decrescenti augmento adaptentur. Qvod prudentibus populorum Gubernatoribus occasionem dedit, ut rationi temporum & momentis leges suas accommodarent, primævorum Institutorum & legum, exactam in regendis populis rationem sæpe reqvirerent. Qvodsi in aliis tum vel maxime in veterum S. Ecclesiæ Canonum pœnitentialium observantia videre licet. Qvantus olim septennalis pœnitentiæ (pro singulis gravioribus Dei offensis) adnotatur rigor, veteri illi zelo & primævæ primorum Catholicorum accommodatus pietati, at nunc qvanta S. Ecclesiæ in nos benignitas; dum effusa e Christi Thesauro Indulgentiarum largitate, nostræ subvenire dignatur infirmitati. Ipsa religiosa veterum Patrum instituta qvantas non admittunt corruptæ vetustatis rimas ut ad supplendum antiqvatæ religiosæ pietatis defectum novas in Ecclesia Dei Religiones suscitari fuerit & sit necesse. Vetustate enim collapsa si primævo suo restituerentur ordini, qvanta id violentia, qvanta laboris & virium contentione fieri deberet.

Sed qvorsum hæc tam alto repetita principio? horsum, ut ostendam antiqviora instituta tractu temporum sensim deficere, ac proinde, qvæ benignitate & munificentia Ecclesiæ concedi sunt solitæ, cessante motivo principali, sensim evanescere, nec ita bene ut primitus posse accommodari; multa etiam ex causa rationabili per dispensationes, declarationes Summorum Pontificum, ex supremæ potestatis plenitudine & per usum privilegiis contrarium infirmiora redduntur. Sed ut clarius sensum meum aperiam, ostendere conabor privilegia S. Ordinis Cistercienſis

cienſis a Sede Apoſtolica [qvæ ſemper venerari mihi animus eſt] præſertim de electione Abbatum conceſſa, non recte pro temporis moderni ratione allegari, præcipue cum tanto temporum lapſu Sacer Ordo Ciſtercienſis de illis ſiluerit, & contrarium uſum induci permiſerit.

Si quæ unqvam maiora, qvam immunitati Eccleſiæ, conceſſa fuere privilegia, dum a Conſtantino magno ſumptu initis, tot Imperatores Romani, & Principes in ea conſenſerint, Summi Pontifices & Concilia eadem firmaverint, Reges & Principes in ſuis qvoque ditionibus & regnis ſtabiliverint, & tamen qvæ modernis temporibus tot & tantis non obſtantibus privilegiis Eccleſiaſtici patiuntur, non eſt multum agere neceſſe, ideoque ſufficit innuiſſe. Electiones Capitulorum de Epiſcopis eligendis qvanta Conciliorum firmata fuerunt authoritate, & earum ad præſens uſus iam evanuit.

Ducenti iam & amplius interceſſere anni, ex qvo electiones perſonarum Spiritualium in Regno Poloniæ cæptæ ſunt infirmari, Sac. Curia Romana connivente, ac uſum eiusmodi tolerante, An. enim 1460. Caſimiro III. in Polonia regnante, & poſt fata Thornæ Strempinii Epiſcopi Cracovienſis ſede vocante, cum tres Candidati de illo Epiſcopatu contendiſſent. Vnus a S. Sede Apoſtolica proviſus cognomento Servinius & per tres Suffragineos Epiſcopos Cracoviæ conſecratus, Secundus a Rege Caſimiro, cum præiudicio electionis Capitularis datus Ioannes Gruſcinius, Tertius a Capitulo electus cognomento Breſius; Tantæ contentioni & Jurium Eccleſiaſticorum eorum convulſioni occaſionem dedere ut non tantum Eccleſiaſticæ immunitatis violatæ [per eiectos e ſuis ſedibus Canonicos & male habitos & obſidione cinctum in arce Pincovienſi per Miniſtros Regios proviſum Apoſtolicum] in cauſa fuere, ſed ad tantam indignationem Regem ea cauſa impulerat, ut in ea verba proruperit, ſe malle Regno ſuo cedere, quam pati ac permittere, ut qvis in eo dominetur. Et qvia violento actum eſt remedio, ceſſit iam conſecratus Jure ſuo Epiſcopus, qvatuor tantum millibus marcarum

pro litis expensis a Regis præsentato acceptis. Non desunt & alia succedentium Regum exempla: Sigismundi III. occasione Tinecensis; Vladislai IV. Tremesnensis Abbatiarum, qvi eodem modo in' suis juribus asserendis processere.

Eodem fere tempore statuit Rex ut Episcopus Posnanensis ad consecrationem Abbatis Lubinensis Abbatem electum Regi præsentaret. Qvod exemplum ad alias qvoqve serpsit Abbatias, variis primum statutis circumscribendo electiones, ac tandem descendendo ad præsentationes cum clausula, ut hunc, non alium eligatis, per qvam enervatur tota vis electionis. Sed dum ea taliter aguntur, silet Religio & Jus præsentandi præscribere permittit; & cum qvadragenaria præscriptio ad qværendum alicui jus sufficiat, centenariam & maiorem admittit.

Qvod vero non qvadraginta tantum sed etiam triginta annorum spatium ad tollenda privilegia & acqvirendam præscriptionem sufficiat, allegatur textus Juris Canonici; præterea ad hoc ut perdatur privilegium sufficit, qvod qvis per triginta annos privilegio suo non sit usus; accedentibus tex: de privilegiis. Ibidem dicitur qvod unico actu contrario perdatur privilegium. Cum vero non obstantibus privilegiis Reges a ducentis & amplius annis continuo præsentaverint ad Abbatias, easdemqve præsentationes Summi Pontifices semper admiserint, ut videre est in regestris datariæ, Ergo apparet per hos multiplicatos & continuos actus privilegia de electione Abbatum esse enervata & omino evacuata. Nec obstat qvod Synodi Provinciæ Gnesnensis tempore Sigismundi I. & Augusti filii eius celebratæ, electionem Abbatum videantur defendere contra statuta Regum: Qvia Reges ex rationibus iusti & æqvi contraibant illis Synodis, & continuabant suas præsentationes, qvas Summi Pontifices admittebant.

Si ergo Leges, dum non acceptantur, nullam habent vim, ut patet in ipso Concilio Tridentino in eis provinciis, ubi non est acceptatum; Multominus Synodi ex subditis constantes valebunt contra suos Reges ac eorum Maiestatica Jura, præsertim ubi summa potestas Ecclesiastica talem Regum agendi modum saltem tacite

cite approbat, præsentationes eorum admittendo. Unde Piasecio part. 2. cap. 3. art. 6. & Gavantus de privilegiis Regularium non dubitant asserere: Qvod maxime contra ista privilegia advertendum est, an fuerint in usu in loco, ubi controvertitur: Si enim adesset consvetudo contraria illa derogaret talibus privilegiis, & esset tenenda.

Et hæc qvoad præscriptionem iuris, qvod Reges ad Abbatias præsentent; sed qvoniam dupliciter præsentant Reges, qvosdam in titulum, qvosdam vero in commendam; necessario fieri debet mentio de commendis, an eorum fuerit usus in Polonia, hoc enim a Religiosis intenditur Ordinis S. Cistercienſis, ut commendas excludant; & dico Abbatias in Polonia commendari solitas a Prælatis sæcularibus: patet ex constitutionibus Synodalibus Anni 1551, ubi habetur, quod jam tunc sæculares personæ titulo commendarum Abbatias possederint. Et Piasecius ipsemet Abbas Commendatarius Claræ Tumbæ in sua praxi par. 2. cap. 6. art. 3. ait his verbis: cum commendat Papa nec præfigit tempus commendæ, in dubio tali præsumitur commenda perpetua. Et huiusmodi Commendatarius qvi est ad vitalitia, verus est Prælatus, & habebit eandem authoritatem administrationis & iurisdictionis qvam haberet Beneficiarius in titulum. Horum Commendatariorum magnus ponetur infra catalogus, ita ut nulla fere sit Abbatia, qvæ non fuerit multoties commendata, & qvidem aliqvæ continuata serie, uti Andreiovienſis, Wachocenſis, Paradisienſis, Suleiovienſis, Mogilnenſis, Mogilenſis, Lublinenſis, Plocenſis &c.

## *Qvæ motiva fuerint REGIBUS & Reipubl. ut se in præsentationes Abbatum ingererent.*

Primvm Motivum. Postqvam Reges Poloniæ cum sua gente fidem Christi sunt amplexi, non solum amplissimos Episcopatus liberalitate eximia erexerunt, sed etiam varia Monasteria Cistercienſium, Præmonstratenſium, Benedictinorum & Lateranenſium, magnifice fundarunt & ingentibus latifundiis, oppidis, castellis, villisque plurimis dotarunt, delectati exemplari pro tunc illorum

illorum Religioſorum pietate, & Regulari obſervantia, cuius fragrantia de exteris Regionibus etiam noſtrum afflabat Regnum, impulſi etiam deſiderio ſpiritualis ſuorum ſubditorum fructus, qvatenus ſi qvi Deo ſingularius ſervire, ac mundo renuntiare cuperent commoda in eiſdem cœnobiis aſyla haberent, præſertim de genere nobili, qvod ſolum in Polonia reſpicitur, & cæteris extra portam dignitatum ac pene in ſervitute manentibus abſqve libertatis uſu, ſoli nobiles gaudent.

Per terna circiter ſæcula Religiones prædictæ ſatis gratum dabant Chriſti odorem, ac numerum Religioſorum proventibus bonorum proportionatum fovebant; ideoqve ut ab omnibus obſervabantur & colebantur, ita a Regibus vivere ſuis legibus tum qvoad cætera tum qvoad electionem Abbatum permittebantur etiam cum demiſſione ſeu diſſimulatione Juris Regii ex fundatione ac dotatione acqviſiti. Verum etiam cum ſummis negatum ſit ſtare diu, tempuſqve conſumere ſoleat, eius iniuria ac humana fragilitate factum eſt, qvod poſtea illa initia fervida intepuere, rigor diſciplinæ elangvit, relaxatio morum invaluit, cum Abbates ſui non Monachorum, templorum & monaſteriorum curam geſſere, omnes fere proventus ad ſe & ſuos luxus ac pompas traxere, parte modica monaſteriis relicta; unde Monachorum numerus longe imminutus, ut ubi centum foveri debebant & ſolebant, ægre aliqvot ſuſtentarentur, pluribus per Parochias in officiis Curatorum diſperſis, ibiqve pleriſque malam de ſe famam longe lateqve ſpargentibus; invaleſcente dein Hæreſi Lutherana, plurimi a Religione ac fide Catholica deficere, ad Lutheraniſmum & uxores convolare, vacua Monaſteria relinquere, ac ea dein plebejis aut exteris ſupplere, aliqvi Abbates villas Abbatiales vendere, aliqvi per incuriam deſolare, omnes ab impotentiam & ſui contemptum, utpote vel plebeii vel obſcuri, variis iniuriis, ſpoliis ac devaſtationibus militum & nobilium Chriſti patrimonium exponere inceperunt.

Hoc igitur primario movit Reges ut mutato illarum Religionum ſtatu, ipſi qvoqve ſuum erga eas immutarent animum. Hinc

Hinc est qvod statuerint, ut Abbates pueros nobilium erudiri facerent: scilicet dum in Monasteriis parvus erat Monachorum numerus, aliis a fide & Religione deficientibus. Hinc & alia statuta: ut Abbas sit Nobilis, ut Electus sistat se Regi assensum petiturus, ex qvatuor Candidatis Rex unum eligat, Episcopus ad instituendum præsentet &c. Cum vero & hæc non satis prædictis incommodis obviarent, devenerunt Reges ad præsentationes seu nominationes directas, tum ad ipsos Cœnobitas cum clausula, ut hunc & non alium eligant: tum similiter ad Summum Pontificem, easdemqve nominationes usqve ad hæc tempora pacifice continuarunt,

Si qvis dixerit non potuisse sæcularem potestatem facere illam immutationem circa Ordines Religiosos ob defectus iurisdictionis? Respondetur. *Si non directe, certe potuisse indirecte, propter bonum Regimen temporale, tranqvillitatem publicam & Regni securitatem. Sic & Summus Pontifex indirectam habere dicitur jurisdictionem super Regna Catholica qvoad temporalia, in qvantum ad spiritualem Ordinem requiritur. Hac potestate Reges Galliæ & Respublica Veneta non solum immutarunt qvasdam Religiones in suis statibus, cum ipsis expedire videbatur pro bono regimine, sed etiam qvasdam e Regnis suis exturbarunt, uti notorium est ex Historiis.*

Deinde ad Fundatores spectat, ut eorum piæ fundationes & intentiones adimpleantur, ac opportuna providere remedia, si eis non satisfiat. Videntes igitur Reges non eum Monachorum vivendi modum, qvem ab initio tenebant, & qvem Fundatores ac eorum Successores intendebant, dum eis tam ampla largiebantur bona; ex conscientia tenebantur his abusibus occurrere. Si dixeris: qvod tenebantur solum superioribus id deferre, non vero ipsi corrigere. Respondetur & deferebant, & ab ipsis Generalibus Ordinum rogati erant, ut excessus Monachorum authoritate sua compescere dignarentur; hoc enim ipsis Generalibus in tanta distantia ac Monachorum licentia erat impossibile. Sed & ipsi Summi Pontifices in idem consentiebant. Præsentibus enim eorum Nuntiis in Comitiis illæ ferebantur leges, qvas nun-

qvam improbavit Sedes Apostolica, imo potius approbavit, dum præsentationes semper admisit. Addendum etiam est, qvod ad easdem leges Episcopi Poloniæ, tanqvam Senatores, concurrebant. Et qvamvis in qvibusdam antiqvis Synodis videntur qvædam improbata, sed illa non habebant potestatem supra sancita Generalium Comitiorum, ideoqve tantum precario causam hanc promovendam censebant. Verum posteriores Episcopi & strenue Jus patronatus Regium defendebant, & vigore ipsius præsentationes ad Abbatias cum effectu per centum & amplius annos obtinebant; qva ratione omnia antiqva antiqvarunt.

Deniqve audivi sæpius a Regibus, imo & ab ipsis Prælatis sæcularibus, qvod libenter relinqverent Monachis liberam Abbatum e medio sui electionem nec unqvam commendas appeterent, si & Abbates & Monachi iuxta primævam vellent vivere regulam, qvam in primo in Poloniam ingressu profitebantur non solum habitu, sed & actu. Si Abbas cum Monachis communia haberet bona, uti nunc Rector, Prior vel Gvardianus, si abiicerent illum fastum, luxum, famulatum, si Abbas esset qvasi unus ex illis, si primus ad chorum, ad meditationes, disciplinas, si Abbas non ex veste splendida, bucca plena, lecto molliter & speciose strato, cubiculis affabre factis, & pretiosis adornatis perizomatibus, non ex abaco argenteo deaurato, non ex mensa opipara sub onere exqvisitarum dapum gemente, vinis generosioribus sudante, uno verbo, non ex fastu & vanitate, sed ex maiori modestia, humilitate, exemplaritate, assiduo, vigilanti, prudenti in regendo sibi commissos zelo cognosci vellet, si alius templorum & apparamentorum nitor appareret, si numerus Monachorum præsertim Nobilium ad proportionem proventuum foveretur, si ex beneficiis omnes Religiosi ad Cœnobia deducerentur &c. Verum sicut Propheta dixit qvibusdam: *Potestne Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, sic nec vos potestis benefacere, cum male didiceritis*: Ita & nostri Domini Abbates, ac eorum Cœnobitæ dubito qvod velint expoliare se veterem hominem cum actibus suis. Non mirentur ergo si & Reges aliter eos non tractabunt,

ctabunt. Mirum potius omnibus qvod Monachi nolentes obſervare ſuas regulas, velint ut obſerventur iura & privilegia primitus illis ob regularum obſervantiam collata. Si qvæſieris: qvidnam ergo remedii contra hæc inconvenientia electiones inverſæ & præſentationes inductæ attulerunt? reſpondetur: multum qvidem per omnem modum. *Si enim præſentantur in titulum profeſſi vel profeſſandi, Rex pro ſua ſumma prudentia & pietate diligit viros regulari obſervantia, devotionis ardore, exemplari vita ac nobilitate conſpicuos, qvi & diſciplinam religioſam inſtaurare, eccleſias adornare ac bona defendere velint & valeant, utpote & Regis favore innixi & ſuorum conſangvineorum potentia freti. Electiones vero Monachorum cadebant plerumqve vel in eos, qvi ſangvine aut clientela Commiſſariis Generalibus obſtricti erant, ad ipſorum coactivam inſtantiam; vel in eos, qvi magis factioſi minusqve religioſi ac plerumqve plebeji erant, qviqve primatum inter Monachos non per modeſtiam aut regularum obſeruantiam ſed per audaciam ac licentiam eiusqve ſpem ſibi compararunt*

Si Rex nominat in commendam Epiſcopos vel alios Prælatos, longe maiora in Religionem redundant emolumenta. Illæ enim perſonæ plerumqve graves eximia authoritate, nobilitate, activitate, virtute, zelo præſtantes, qvo fit ut pro indole & generoſitate ſua plurima bona Monaſteriis ac Templis præſtent, poſſeſſiones eorum egregie tueantur, imo & diſciplinam religioſam, ubi eis directio actualis in ſpiritualibus permittitur, zeloſe promoveant, etiam ad ſtuporem in pleriſqve. Ita ut multi Religioſi Deum timentes & regulam amantes, magis exoptent Commendatarios, qvam titulares Abbates. Et ſi aliqva contraria commendæ ingeruntur auribus Curiæ Romanæ, eorum ſunt authores ii ſoli Religioſi, qvi ambiunt & ſperant Abbatias propter maiores luxus & faſtus ſuos. Longe maior & ſanior pars Religioſorum aliud ſentit. Si dignaretur aliqvando S. Sedes Apoſtolica mittere ad hæc inveſtiganda viros zeloſos, non intereſſatos, ſolam Dei gloriam, fidem & Religionis Catholicæ augmentum præ oculis habentes, procul dubio omnia hæc aſſerta veriſſima eſſe deprehenderent: nec ea invenirent ex commendis inconveni-

entia qvæ sunt Leoni X. repræsentata, ac in Bullam eius relata, ex aliis Provinciis, non ex Polonia.

Ausim ego affirmare, qvod per præsentationes Regias præsertim in commendas, magis satisfiat intentioni fundatorum; illi enim non ob ullum amorem cuculi nigri vel albi, sed ob maiorem Dei gloriam, salutem animarum & Regni sui emolumenta spiritualia, largiti sunt tam ampla Monachis bona, sperantes, qvod illa omnia melius per eos erant promovenda.

Secvndvm Motivum Inversionis electionum & inductarum præsentationum, præcipue in commendam seqvitur, Qvod pro manutenenda fide Catholica ac pro Jurisdictione spirituali authoritateqve Sedis Apostolicæ in Regno expedit, ut Episcopi ac alii Prælati sæculares sint potentes, non solum opere & sermone, sed etiam mammona, de qva ipse Salvator noster iubet facere amicos, sine qvorum præsidio difficile est aliqvid magni operari & evincere, præsertim in Republica Polona, ubi cuncti Nobiles libero gaudent suffragio in omnibus Regni negotiis. Præterea contra potentiam Hæreticorum & Pseudo-politicorum, fidem seu Jura Ecclesiæ violare satagentium, frustra iam obiicienda hic humilitas & modestia, qvia hæc ab insolentibus & temerariis magis calcaretur. Similia eis opponenda potentiæ arma, ut revereantur qvi ex adverso sunt; ait Apostolus. Hanc ob causam & Eminentissimi Purpurati non una, sed pluribus pleriqve ornantur Abbatiis. Et Germaniæ Antistites pluribus etiam Episcopatibus onerantur; Qvamvis contra SS. Canones longe magis pugnat tres vel qvatuor teneri ab uno Episcopatus amplos, qvam unius Abbatiolæ commendam. Sed tamen tam strictarum legum violationem cooperit & omnes Canones infringere permittit maius fidei Catholicæ bonum, qvod ex inde intenditur & expectatur. Qvidni ergo idem bonum idem non tribuat Jus Prælatis Polonis pro tenenda saltem una ab uno Abbatia? æqve Polonia ac Germania circumdata & immista est Hæreticis, imo & Schismaticis ac Paganis, a Germania longe dissitis; æqvale, imo maius, continuumqve cum eis bellum. Nonne Episcopis ac aliis

liis Prælatis sæcularibus est tribuendum, qvod Hæresis Lutherana in ortu sui, totas suas in hoc Regnum exerens vires repressa est? qvod Arianismus in exilium missus; qvod priores olim Hæretici Hussitæ, Trinitarii & per leges severissimas & per fortem earum executionem totaliter e Regno pulsi sunt? qvid ad id contribuerunt Abbates & Monachi cum amplis eorum proventibus? nisi qvod iis enutriti & impingvati recalcitrarunt etiam ipsi, cum plurimi ex iisdem tradiderunt se hæresibus, suoqve perverso exemplo longe plures ad idem traxerunt barathrum. Et qvamvis vicinæ Prussiæ Sambiensis & Pomesanien-sis Episcopi Lutheranam Sectam amplexi essent, cum suis Diœcesibus & cum Ordine Theutonico Crucigerorum; Episcopi tamen Poloni constantes & ferventes in fide Orthodoxa permanserunt, evellentes illa zizania ac destruentes omnem potentiam extollentem se adversus Deum eiusqve veram Religionem. Imo credo, qvod si Episcopi fuissent pro tunc potentiores, non permisissent remanere in Regno hos Hæreticorum nidos, qvi adhuc hærent, nec eorum tolerantiam: maiore vi ad hoc erat opus, qvia vana sine viribus ira. Qvamvis nihilominus eorum potentiam in dies atterunt, templa ab eis usurpata & prophanata de manibus eorum eripiunt, si qvid blasphemi contra fidem Catholicam protulerunt, aut qvid simile perpetraverint, continuo in Tribunalibus Regni eos severe puniendos procurant.

Qvis etiam ad unionem Ruthenorum cum Ecclesia Catholica magis cooperatus est Episcopis? Qvis author extitit legis tam solennis & necessariæ, ut Rex Polonicus sit Catholicus? qvæ licet usu & praxi tenebatur, in voluminibus tamen legum non extabat. Primus Revered. Olszowski Regni Procancellarius Episcopus Culmensis in Comitiis electionis Seren. Michaelis feliciter nunc regnantis prædictam legem expresse condi & promulgari procuravit. Et tamen hic Legislator Solone & Licurgo maior a Monachis vexatur, ab Abbatia Andreiovienſi excluditur. Haud tamen dubito qvod S. Sedes & tanti viri merita & sumptus, qvos tum ipse tum alii Episcopi & Prælati pro re Ca-

tholica promovenda vel tuenda necessario expendere debent, perpendent, facilem tum ipsi tum aliis in concedendis commendis Abbatiarum se præbebit; ne carentes mediis & eorum spe cadentes, cadant etiam animo ad fortia. Nec enim debet alligari os bovi trituranti; & nemo propriis stipendiis militat: ac dignus est operarius mercede sua.

Tertivm Motivum Vendicativum a Regibus præsentationum & commendarum Abbatiarum idem est, qvod fuit statuti a Sigismundo conditi & a Leone X. approbati de excludendis plebeiis a beneficiis maioribus, solisqve nobilibus conferendis, nempe propter subsidium nobilitatis, cuius tenor est talis:

*Cum magna pars Reipublicæ nostræ in ordine & statu Ecclesiasticorum consistat; Ecclesiæ Regni nostri per Antecessores nostros sint ampliter dotatæ, cum ad Divinum cultum peragendum & manutenendum, tum etiam ad viros litteratos & idoneos maxime vero Nobiles promovendos; qvorum pauci essent, qvibus vel animus, vel facultas esset in litteris incumbendi, & alia studia per qvæ emergitur, sectandi, nisi bona Ecclesiastica non solum facultatem vivendi, sed etiam opem multis, se & suos sublevandi prælentaret. Vnde Nobilitas Regni, qvæ potissima est Regni portio, & cujus domus ac familiæ partim multiplicatione prolis, partim etiam aliis eventibus plerumqve extenuari solet, præcipuum habeat status & provectionis suæ subsidium & adjumentum &c. Atqve hinc dicitur qvod, quandoqvidem ea intentione fundata sunt opimiora sacerdotia, ut illis Nobilitas sublevetur, facile inde potest conjici, hoc fuisse Reipublicæ motivum, ut eorum redituum curam haberet, ex qvibus Ecclesiæ & Reipublicæ defensio habitura esset subsidium.*

Huc accidit qvod aliqvarum Abbatiarum fundatores sint Nobiles. Fundatores autem habent pro se rationem ex Jure Canonico, si Patronus Ecclesiæ egeat, habet ad Ecclesiam, cuius est Patronus, recursum pro subsidio: hoc autem habent tantum a Commendatariis Abbatibus, qvia hi & in vita possunt consanguineos suos iuvare, & post fata peculium suum successione ad hæredes transmittere; qva ratione & Nobilitas suffulcitur & defensio Reipublicæ augetur & restauratur. Secus autem est in titularibus

laribus, hi enim nihil habent proprium sed qvidqvid acqvirunt, Religioni acqvirunt. Nec igitur in vita possunt suis subsidio esse nec post mortem aliqvid eis relinqvere. Unde nullum ab eis potest sperare Nobilitas subsidium. Et hoc est arcanum, qvare aliqui Commendatores Abbates excludere nitantur: ut scilicet peculia Abbatum titularium possideant, consangvineis eorum ad successionem non admissis.

Ad qvem autem spectat discernere, qvi Nobiles magis mereantur ac egeant, nisi ad Principem? ad eum igitur pertinet deligere ac nominare ad ea subsidia capessenda & aliis præbenda.

## *Qvinqvaginta Singularia Juris Patronatus Regum Poloniæ*

*Serenissimo ac Potentissimo Regi IOANNI III. Patrono unico, ac singulari Collatori.*

I. Jvs Patronatvs Erectione, Fundatione, aut Dotatione, acqviri; solenne axioma est iuris communis Ecclesiastici. *Can. Piæ mentis* 16. *qv.* 7. *jung. gloss. & cap. qvoniam verb. Fundatores ext. de jure pat. itid. junct. glos Christoph Wintzler in tract. de juris dict. Episcoporum German. tit.* 89.

II. Hoc tramite Juris Priorum, [ut vocat Cromerus] Sacerdotiorum Collationes Regibus Poloniæ qvæsitæ sunt, qvorum Fundatores extitere, qvi vocantur in Jure Patroni, Advocati, Protectores, & Defensores Ecclesiarum, & præcipue Monasteriorum.

III. Priora intelliguntur Sacerdotia Episcopatus, Abbatiæ & aliæ Regularium Præposituræ, tum & insigniores Prælaturæ Plebanatusqve.

IV. A Divo Miecislao I. Polonorum Principe Christiano circa annum Salutis 966 Episcopatuum, circa annum vero 1000. Abbatiarum, jacta sunt fundamenta. *Dlugossii, Miechovitæ, Cromeri, Bielscij, Sarnicij, Stricovij, Gvagnini, & aliorum veterum recentiorumqve Polonorum Scriptorum plenæ historiæ.*

V. Episcopatuum res pacatæ. Abbatiæ qvædam hac tempestate prodiere in arenam, Regum & Fundatorum collationi, oblucta-

obluctaturæ. Et qvia Reges, non Protectores tantum, sed & Fundatores sunt, Abbatiarum accipe seriem.

VI. Ab anno milleſimo Mieceslaus I. Princeps Polonorum Chriſtianus Tremeſnenſem. Boleslaus Chrobri Primus Rex coronatus ſanctæ crucis in monte Calvo & Sieciechovienſem. Caſimirus I. Tinecenſem, Mogilnicenſem & Lublinenſem. Miecislaus Senex Landenſem & Wągrovecenſem. Caſimirus Iuſtus Copriunicenſem. Samborius Olivenſem. Mſzczugius Peplinenſem Pomeraniæ Duces, Abbatias a fundamentis erexerunt, dotarunt, fundaruntqve. *Miechovius in hiſtor. & alii paſſim.*

VII. Archiepiſcopi Gneſnenſes, Epiſcopi Cracovienſes, & alii Comites & Proceres regni, ſi qvas fundarunt Abbatias, gratia, authoritate & conſenſu Regum & Principum Poloniæ fuit. Hæredes enim & ſupremi Domini nuncupabantur; ſervituteſqve, vecturas, pedagia, contributiones, datias, diverſi generis onera; ex bonis ſpiritualium, a qvibus poſtea pietate Regum & Principum Abnepotum, relevati ſunt, ſummo iure ſumebant. Remanſit ex eo circa Maieſtatem Regiam diſpenſatio gratioſa, & non interrupta gratiarum diſtributio, nec aliter in bonis Abbatiarum Advocati, Sculteti & Tabernatores conſederunt, niſi Regum privilegiis proviſi & donati: prout ex diplomatibus Caſimiri Iuſti Poloniæ, Leſconis Albi Cracoviæ, Boleslai Pudici Cracoviæ & Lanciciæ, Semoviti Maſoviæ Ducum deducitur, qvæ in Archivo Monaſterii Suleiovienſis conſervantur. Recentiori hominum memoria Sigiſmundus III in pœna reprimendæ ſeditionis a ſubditis Abbatiæ Suleiovienſis in directos ſuos Dominos aſſumptæ, diſtrictam ſuæ Maieſtatis indignationem exercuit, ut privilegia ſcultetorum, aliorumque tabernatorum & privilegiorum libertationes caſſaret & annularet. Solenne eſt Regum in Abbatias poteſtatis & iuriſdictionis documentum, proviſiones qvoqve ipſas, qvas Monaſteriorum Conventus cum Abbatibus ad menſæ commoditatem partiri conſveverant, in omnibus Monaſteriis Regum authoritate, pariter & aſſenſu ſemper exdiviſas fuiſſe.

VIII Priſca

VIII. Prisca rerum sacrarum facie, Capitula Episcopos Abbates legebant, universali Ecclesiæ Catholicæ consvetudine, non tamen absque adminiculo Principum. Hodie inquit Piasecius electiones liberæ vix jam alicubi, ac ne vix retinentur, etiam a curia Romana postpositæ : rediit igitur collatio ad Principes & Primævos Fundatores non in Polonia tantum, sed & in Germania, Hispania, Gallia. *In Prax. Episcop. Proemium de Electione n. 6.*

IX. Insistunt juri suo Principes, ut planum sit ex multiplicatis præsentationibus, uti dispositit Concil. Triden. Per antiquissimum temporis cursum (verbis Concilii loquor) qui hominum memoriam excedit, suarum Mtum præsentationes successive a Casimiro magno & a Ludovico, qui Bozantam Szeligium, contra electum a Capitulo Novodvorscium ad Sedem Gnesnensem Vrbano VI. præsentavit, atque alii alios Archiepiscopos, Episcopos, Abbatesque longa quæ hic non recensetur, quia nota & vulgari serie. *Sess. 25. c. 9.*

X. Aperuit campum Abbatia Lubinensis, prout patet ex statuto Regni, non ita multo post annum 1460. Cromeri testimonia. Porro cum Monachis inquit, Lubinensibus constitutum, ut ne Abbatem nisi a Rege destinatum haberent. Inde adeo hic mos inolevit posterius in cœteris quoque monasteriis totius Poloniae, ut Abbates assensum Regis requirant, &c. Quo non obtento Abbatia acquiri minime potest. Ac proinde posteriori tempore ultra centum annos mos invaluit obtinendarum ante electionem præsentationum, etiam cum clausula Cancellariæ, ut hunc & non alium eligatis : quibus nunquam Monachorum Conventus ipsorumque Capitula contradixerunt. *Verbo Abbates a Princ. Lib. 24. fol. 552.*

XI. Ducenti triginta anni, grande mortalis ævi spatium, sufficiunt præscriptioni, & firmant possessionem Principum ab immemorabili bonæ fidei, quia spontaneæ, qua ante Prædecessores Majestatum gaudebant, Casimiro III. delatam, ut infra patebit.

XII. Regum venustam Majestatem ornat & illustrat hera præ-

miorum justitia distributiva, qua omnes Europæ Principes a Poloniæ Regibus superantur. Inæstimabile illud Solii regalis pretium. Ac proinde ingenti studio & conatu, acrioribus nonnunquam mediis, & jure Guerrico tentum, & defensum a Regibus; ad mentem statuti Regni, cujus verba sunt: Quia tamen tanta est multorum hominum temeritas, tanta rerum & temporum varietas, ut nihil tam solidi obtineri ac ordinari possit: quod non turbetur & labefiat in posterum, nisi vi & potestate Principum defendatur & manuteneatur. *Tit. Spiritualis. fol.* 449.

XIII. Plusquam notum est Annalium gnavis Gruszczynium a Casimiro III. Regio & excelso Spiritu, in vim supremam obfirmato, ad Episcopatum Cracovienſem, Strzępinio vita functo, contra proterviam Sieninii, & Capitularia vota in Brzezium provectum fuisse. Singula prolixe narrante Cromero, & aliis fastorum scriptoribus. A Casimiri Nepote Sigismundo Augusto, Jacobum Vehanscium ad Cathedram Vladislavienſem ex Chelmensi translatum: nihilo secius. Porro quoad Abbatias sæpe nimis. Majorum memoria & nostra singuli, quibus Abbatiæ liberalitate Regia obtigerunt, hoc meritorum præmio, vigore nominationis Regiæ potiebantur; qui secus, strenue ut Reges decuit, repressi sunt. Coadjutorem Caspari Leslau Abbatis Olivenſis, Georgium Kostka, Palatini Pomeraniæ filium, cooptatum citra Regii assensum, Stephanus Rex Batoreus, per Oratorem suum Demetrium Sulecovium Archiepiscopum Leopolienſem, apud Sixtum V. serio impedivit, Reinholdus Heydensteinius narrat luculenter, Sigismundus III. sumptis Regni fascibus, Romæ per Joannem Kucborscium, intimum a Secretis, posthac Episcopum Culmen. in causa Tynecensis Abbatiæ quæ non egerit? qvaliter Baranovium electione Capitulari frustra tumidum & laborantem compescuerit? qvaliter Andream Batoreum Cardinalem in possessionem Abbatiæ Czerwenensis, vivente Falki Abbate Seniculo, in præsentia Nuntii Apostolici Germanici Malaspinæ, & Archiepiscopi Gnesnensis Karnkovii, Plocensisque Episcopi Baranovii introduxerit? Stanislao Sulovio in manu potenti

tenti pacificam Abbatiæ Tynecensis paraverit? Vladislaus IV. Niewiarovium Roma redeuntem, ibidem a Nepote Pontificis Innocentii X. benedictum Abbatia Tremesnensi exturbaverit, & ab agmine militari captum, vinctumque deduci jusserit, & tres subinde sibi succedentes Abbates spectare & tolerare coëgerit. Joannes Casimirus Piasecium, Episcopi Præmislienſis ex fratre Nepotem, Abbatia Claræ Tumbæ exuerit? Pstrokonium Episcopum Chelmensem, ope armata Monachis nec qvidqvam obnitentibus Tynecum introduxerit, qvis ignorat? neque hæc vis fuit ubi a Monasteriis vi agebatur. *Lib.* 24. *fol.* 554. *Rer. Pol. Lib.* 7. *fol.* 238.

XIV. Jamque eo res processerunt, ut absqve Regia nominatione ne Romæ qvidem tam sæcularia, qvam regularia, beneficia impetrare liceat. Assertum ex Lipskio accipe. Et certe superioribus, inquit, temporibus, usque ad Sigismundi I. imperium, tantum is mos in curia Rom. impetrandi beneficia, tam Jurispatronatus Laicorum, quam spiritualium invaluerat, ut etiam legibus a Sereniſſimis Regibus Alberto & Alexandro eo nomine promulgatis, vix, imo ne vix qvidem prohiberi id potuerit. Prout videre est in statutis Regni. Donec tandem summo studio ac labore Sigismundi I. id effectum est, qvod ex præscripto indulti a Sede Apostolica, summoque Pontifice Clemente VII. impetrati, nullus posthac Cortesanus, qvod idem est, in curia Rom. commorans, huiusmodi beneficia, quæ iuris Regii fuerint, tum Laicorum, vel in mensibus ab eadem Sede Apostolica Ecclesiasticis personis gratiose concessis impetrare præsumat. Postmodum statuto ejusdem Regis Cracoviæ lato anni 1540. confirmatum fuit, quo in huiusmodi Cortesanos contra præscriptum indulti superius recensiti impetrantes, gravissimæ pœnæ statuuntur. Huc usque ille. *In Decat. quæst. Public. qu.* 9. *num.* 13. *Sub verb. juris Patronatus.*

XV. Fulti beneplacito San. Sed. Apost. Spiritualium & Sæcularium Ordinum status Regni, reassumptis antiquioribus de Cortesanis statutis, Leges perpetuas condunt; Abbates nobiles

sunto. Reges ad Abbatias, benemeritos præsentanto, Episcopi post fata Abbatum Abbatias regunto & a Rege præsentatos instituunto. Perspice constitutiones qvæ tibi diserto & vernaculo sermone rem ediffèrent.

XVI. Agebatur de abrogatione horum Regni statutorum & legum in Synodis Provincialibus enixa Abbatum & plebeiorum Monachorum cura, sed prisca consvetudo firma stetit & inconcussa, diplomatibus a Leone X. per Joannem a Lasko, & ab Vrbano VII per Erasmum Ciolek Regum nomine impetratis, omnes illas de electionibus Abbatum & Plebeiorum non constitutiones, sed potius cohortationes, seu melius consultationes & totum de electionibus titulum Lib. Constit. Provin. comprehensum, evacuavit, *Anno* 1550. & 1588. & 1607.

XVII. Talis consvetudo etiam privilegia evacuat: uti expertus Juris Episcopus Præmislien. Paulus Piasecius tradit. Sed maxime, inqvit, circa ista Privilegia advertendum est, an fuerint in usu, in loco ubi controvertitur. Si enim adesset consvetudo contraria, illa derogaret etiam talibus privilegiis; & esset tenenda. *In Praxi Epis. de privil. Regularium, par.* 2. *s.* 3. *art.* 6 *num.* 60.

XVIII. Cum impetrarentur a summis Pontificibus Diplomata, cum conderentur statuta, & leges, cum laboraretur in Synodis, in æstu controversiarum: consvetudo immarcessibilis viguit, Abbates gente nobiles, a Regibus nominatos Abbatiis præfuisse, ipsis Monasteriorum cætibus sic volentibus. Electi cum scitu loci Ordinariorum prout Lex lata. Pro veritate & in comprobationem relatorum, unicum Episcopatus Posnanien sis stet Archivium, qvanqvam & Vladislavien se plura suppeditat, quæ subjicere hic fastidium vetat. Ab anno 1442. ad annum 1612. & infra ex nominatione Regia, & intimatione Episcoporum Abbates electos fuisse constat. Namque Anno præmemorato die 28. Decembris Nicolaus Abbas Lubinen. in manus Andreæ Episcopi Posnanien sis Abbatiam resignavit, & de novo Abbate provideri postulavit. Anno 1552. Petrus Kamienski Bledzievien sis, & Joannes Bielecki, cum consensu Benedicti Izbinski Episcopi. Anno 1558.

1558. Stanislaus Wierzbinski Paradisien: cum consensu Czarnkovii & anno 1560. Joannes Wegorzewski Præmetensis. Anno 1570. Lucas Koscielecki Lubinensis, cum consensu Konarii Episcopi. Anno 1577. Joannes Bronikowski. Anno 1579. Andreas Koscielecki. Anno 1594 Sebastianus Grabowiecki Bledziewiensis cum consensu Lucæ Koscielecki. Anno 1597. Joannes Brzeznicki Præmetensis. Anno 1604. Jacobus Lempicki Lubinensis & Christophorus Karsnicki, cum consensu Goslicii. Anno 1607. Stephanus Charbicki Præmetensis Joannes Dlu ski Bledzevienſis Abbates, ex nominatione Regia electi, & con" stituti, usque ad constitutionem hoc eodem anno 1607. latam," finaliter ac postmodum successive instituti & introducti fuere" Ita res, prisca consvetudine & legibus firmata obtinuit, & hodie etiamnum tenet.

XIX. Scis? qvibus Sedes Episcopales, & curules Senatorios designarit in Polonia, Leo X. in Bulla Provinciali Lib. I. Constit. Synod. inserta & recepta. Qvi, inqvit consilio, verbo authoritate, & exemplo præsint. Pari passu Abbates cæteriqve Prælati sæculares, cum in procerum consensu censoriam dignitatem, & Vicariam Regis potestatem, sub judiciis tribunalitiis gerunt, generis prosapia, pares sint, est necesse.

XX. Qvamobrem constitutiones illæ seu potius consultationes de electionibus Abbatum evanidæ, antiqvatæ, nunqvam ad usum aut in praxim reductæ, in desvetudinem abierunt, prout ex posterioribus constitutionibus patet: De Abbatiis vacantibus. De præsidentia electionum, non absque Regis nominatione intimandarum & peragendarum. De judicibus Regni tribunalis. De interessentia Episcoporum comitiis, a quibus illæ vetustiores suffocatæ & ut gliscenti obviaretur hæresi ab Episcopis ævi sub seqventis sublatæ.

XXI. Neque corruptela dici potest illa consvetudo, quam sana ratio conservandæ Religionis Catholicæ, & totius Reip. integritatis asserendæ invexit. Cum non aliter Hæreticis & Schismaticis in regno præpotentibus resisti, bona munifica Princi-

pum manu & Procerum liberalitate collata ab iuvasionibus defendi, a licentia & direptione militari protegi, ab oneribus bellicis vindicari, immunitatem locis sacris & personis Ecclesiasticis servientem inconcussam servari, extremis Ecclesiæ & Reipublicæ casibus subveniri potuerit, nisi ut sangvine præpotentes, cognationibus validi, opulenti opulentum tuerentur patrimonium Christi.

XXII. Jus Patronatus res spiritualis, Sæcularibus personis ab Ecclesia Dei concessa non aliam ob causam, nisi ut egestate pressis subveniretur Patronis. Crediderim morale fuisse ultra lucrum animæ cuique Abbatiarum Fundatori: ut fatiscentes familiæ amplo & copioso reditu earundem relevarentur; Et nobilium surculi eruditionis & litteraturæ subsidiis utilitati Reipub, succreturi expoliantur; idonei postmodum toga sagoque bellisque gerendis. Adverte verba Statuti Tit. spiritualis. Cum magna pars, inquit, Reipubl. nostræ in Ordine & Statu Ecclesiastico consistat: Ecclesiæque Regni nostri, per Antecessores nostros, sint ampliter dotatæ: cum ad divinum cultum peragendum, tum etiam ad viros litteratos, & idoneos, maxime vero nobiles promovendos, qvorum pauci essent, qvibus & animus vel facultas esset ad litteras incumbendi & alia studia per quæ emergitur sectandi, nisi bona Ecclesiastica, non solum facultatem vivendi, sed etiam opem multis se & suos sublevandi præstarent. Unde nobilitas Regni, quæ potissima est istius Regni portio, & cuius domus & familiæ partim multiplicatione prolis, partim etiam aliis eventibus plerumque extenuari solent, præcipuum habeat status & provectionis suæ subsidium & adiumentum: ac cum successu temporis multi indigni homines variis artibus & præsertim Romanis impetrationibus, sese ad Sacerdotia ingererent, ac illa viris dignis ac idoneis præriperent; Antecessores nostri multiplicibus statutis & pœnis gravissimis collationes suas, & subditorum suorum sæcularium, asseruerunt ac defenderunt.

XXIII.

XXIII. Mixtus est in Regno Poloniæ Reip. status, longe diversa ab aliis Rebuspub. facie. Subsellia in Senatu, & in iudiciis Regni tribunalitiis, Spirituales primi cepere, & ubi desunt, multa desunt. In ea dignitate, pro dignitate, qua ratione muniis sufficerent, cum eqvos, famulitium, supellectilem, comeatum alere, sumptibus quotidianis exhauriri, curis in publicum impensis, domestica deserere aliis in serviendo consumi, aliorumque officio sibi officere, extra se ipsum vivere, pene sint adstricti.

XXIV. Si privatis & proletariis Abbatiæ atque aliæ prælaturæ cederent, Senatum minorari, tribunal Regni attenuari, aulam deseri cerneremus. Sic fraudaretur Cancellarius Ecclesiasticus & alter Majestatis Reginalis, Secretarius magnus, Referendarius Regni, Notarius Thesauri, Secretarii, Commissarii, judices Parlamentarii, Assessores judiciorum, residentes in exteris, & alii Curiales intimi, in obsequio Regis & Reip. attritis Patrimoniis, omni spe præmii, & adminiculi excluderentur. Senatus consiliariis, Rex Ministris, Tribunal judicibus, subsellia Assessoribus diminuta, pristino splendore exuerentur.

XXV. Episcopi tenuiores, angustare domi, foris in publicum prodire, consilia opportuna subtrahere, residentiam ad latus Regis lege cautam omittere; Particulares & Generales Conventus, ad quos sub pœna mille marcarum per constitutionem ultimæ Synodi Węzykovianæ a summo Pontifice Urbano VIII. approbatæ irrogata, venire tenentur, refugere, nullius esse usus publici cogerentur. Ita Religio, Ecclesia, Reip administratio, consultationes in publicum, bona spiritualium, familiarum decus periclitarentur.

XXVI. Regis Majestati quantum decederet, adempta collatione Abbatiarum & Episcopatus sequerentur. Cæterum Parochialibus beneficiis vigore gratiarum delatis ad locorum Ordinarios, nihil residui Regibus præter sæculares vacantias quæ pravo exemplo per Palatinatus electionem exp·rerent, relinqueretur. Potior Commissarii Ordinis regularis munificentia foret, qui

Abba

Abbatias pro arbitrio dispensaret. Secretarius [ut vocant] Provinciæ designaret. Illa iustitiæ distributivæ amplitudo, qua Principes Europæ Rex Poloniæ superabat, evanesceret.

XXVII. Statuta Regni hoc in passu dant rationes latæ legis. Ubi igitur ratio, quæ & mens & anima legis, locum habuit, ibi habet locum legis dispositio etiamsi esset contra jus commune. Hoc legistarum placitum erudite illustrat insignis jure consultus, Aloysius Riccius Neap. in Prax Rer. quotid. Respubl. 452. Antiqv. edit. *Verb. Abbas & verb. Spiritualis.*

XXVIII. Primo illo ævo Electiones Monachorum viguisse non ambigitur. Cum a primordiis Christianæ Religionis Archi-Episcopatus, Episcopatus, Abbatias, Itali, Galli, Alemanni, gubernarent: Fidei Mysteriorum & politioris litteraturæ callidiores Polonis: quibus ut antea ipsismet simplicitas rudis fuit. Pariter & in Civilibus jura Teutonica, Saxonica, Magdeburgensia invecta, & cuique potiori Civitati Germani Præsides, Consulesque erant. Acta quoque publica lingva Flamenga scribebantur. Ævo politiore & cum externi insolescerent, vel partis abuterentur; Respubl. correxit seipsam, ambitus externorum repressit, Classes Ordinum in Senatorium, Eqvestrem & Plebejum divisit, leges tulit, quæ futura respiciunt non præterita. Hinc Plebeji manere in sua classe jussi. Nam spiritualis Nobilis tantum est (ut vocant Legistæ) fictione iuris.

XXIX. Plebeji Abbates ignavia diffluebant & divitiis. Alemanni proxima labe Lutheranismi aspersi, aut in Sacris nutantes bona Abbatiarum emungebant & discerpebant. Reditus opimi extra fines efferebantur. Qvidqvid quæsitum sibi ad privatos usus intuitu Monasteriorum vetita testandi facultate acquirebatur. Qua re Antistitum Concilium sub Gamraro cognita statuit Provinciale edictum. Cum plerique, ait, Abbates Præpositi & Abbatissæ, villas & bona Monasteriorum suorum, & juris Patronatus Ecclesiarum hactenus alienarunt, &c. Decernit hæc Synodus, ut DD. Episcopi Monitoria contra tales Abbates &c decernant. Ex quo legem illam plurimum proficuam. Post

Abbatis

Abbatis vel Propositi Regularis obitum Loci Ordinarii bonum Ordinem Monasteriorum curent, Proventibus in potestate Monachorum relictis. Electionem vero Episcopi morte defuncti Abbatis significata, quam primum indicant, de eoque cum Rege communicent, & consvetudinem veterem observent. Electum competenter Regi significent, a Rege præsentatum instituant. Legem inquam illam non aspernati, observant & in usu etiamnum hodie habent. Recurre ad Constitutiones Regni 1550. & 1588.

XXX. Palam obscurioris conditionis Clerici, & alii Presbyteri e cœtu Illustrium Virorum ab Episcopis amoti, cum Ecclesiarum Cathedralium Statuta conderent approbarentque: De non recipiendis Plebejis inter Canonicos, ex quibus creantur Episcopi & Abbates, indicant, qui & quales Abbatiis gubernandis designantur.

XXXI. Collocatum etiam jus patronatus Principum inter Regalia & de non alienandis Reges Sacramento obstricti. Et si quis illud usurpare præsumpserit, infamem lex dixit, & bonis publicatis proscriptum. Uti statutum Regni fusius loqvitur verb. Jus Patronatus.

XXXII. Cum Regalia Principibus Regibusque sit moris facto propugnare non jure, dedecet Majestatem Regiam de juribus suæ collationis litigare. A Rege Batoreo Demetrius Sulikovius, ut refert Heidensteinius sup. cit. Romam missus intentus in conatus eos jussus esse maxime, si in judicio rotæ aliquid susciperetur: Ne in controversiam ullam Rex descenderet.

XXXIII. Lex jubet non disputat. Rex ablegat ad Electiones Abbatum Nuntios & scribit, ut eligatis hunc & non alium. Ab immemorabili stylum hunc Curia Rom. suscepit, cui nunquam Religiosi sese opposuerunt.

XXXIV. Jus patronatus Principum, Magnatum, vel alicuius universitatis seu familiæ, quæ plurimum posset authoritate, inquit Piasecius, præsumitur potius ex usurpatione, præsertim in locis, in qvibus similes personæ exercent iurisdictonem, quæ tamen

men usurpationes firmant ius patronatus privatorum], qvanto magis Regnantium.

XXXV. Claret ius patronatus Regium & Abbatiarum collatio Regum Polon. etiam apud exteros. Libro cui titulus: Breviarium Orbis hodie imperantis. Quærit Author. Quænam potest Solus Rex in Polonia ? Solus Rex, respondet, potest Magistratus, tum Sacros tum Civiles constituere, Magistratus Sacri, quos Rex Solus constituit, sunt Episcopi & Abbates, qvos tamen non ex pacto solum, sed ipso jure quoque constituit: adeo que in hac re Rex Poloniæ ipsos Germaniæ Imperatores vincit [ut ibi Germanus scriptor loqvitur] sed & Severinus de Monzambano Neotericus hæc habet: Rex Polon. ipse Episcop. & Abbates nominat, Palatinos, Mareschalcos, & Cancellarios, Thesaurarios, Ducesque militiæ creat. Reditus Coronæ dispensat & Præfecturas distribuit: Denique universos Reip. honores, prout ipsi placet, confert habetque omnes in manu remunerandi, beneficioque afficiendi quoscunque voluerit, modos. *Crom.* 30. *fol.* 746.

XXXVI. Non est Regum potestatis quidqvam de jure patronatus demittere, cum per pacta Conventa specifice juret: Se Regalia non alienaturum, quin imo defensurum. Neque Ordines Regni aliter Regem eligunt. Ac præcipue Seren. Regi feliciter nuper Electo & Coronato, Pactis juratis id præscriptum est.

XXXVII. Norunt Catholici Europæ Monarchæ, nunquam Concilio Tridentino id mentis fuisse, juri patronatus Regum & Principum derogare, uti deducit Piasecius. Illæ vero dispositiones Sac. Concil. Trident. ut Regulares personæ eiusdem Ordinis professæ Abbatiis præficiantur, & si quæ sunt aliæ; Consultivas tantum esse docet Celeberrimus Juris Doctor Stephan. Gratianus, & vigere tantum ubi Regum collationes non interveniunt. Secus aliter: ut in Regno Poloniæ, Hispaniæ, Galliæ, ubi merentes in aula hæc præmia sumunt. Imo sæpe contingit plures Abbatias uni accumulari. Hattonem Archiepiscopum Moguntinum 12. Abbatiis a Regibus Germaniæ præfectum fuisse, longe retro

retro anteactis temporibus adfert Conring. Ut in Gallia recentiores Rischelium & Mazarinum omittam. *Loc. Sup. cit. n.* 11. & 12. *Discep. Foren. c.* 123. *n.* 12. *adstipulantibus sibi multis DD. Differ. pro Moguntin. p.* 66.

XXXIII. Sicut æqualitas, ita respectus vicinorum Principum observatu non incongruum svadet, ut Rex jurium Patronatus, quæ sunt comunia, Principibus tenatior sit, ne tenuiori lenitate Imperatoris & Hispaniæ Regis exemplo, occasionem præjudicii pariat, illudque patiatur.

XXXIX. Periculosa res est Principibus incuria jurium Majestatis aut lapsus. Henricus V. a Synodo Rhemensi excomunicatus instigante Calixto II. Pacis obtinendæ gratiæ Vormatiæ juri constituendi Episcopos palam renunciare coactus est. Donec Sæculo XIV. suborto inter tres Pontifices Schismate: cum res Ecclesiæ fluctuant, Germaniæ Clerus libertati pristinæ consuluit, Episcoporum Electione ad Canonicos redeunte, jus investituræ Cæsaribus, circa curiam Romanam Confirmatio mansit. De stat. Imper. Germ. superius alligat. Severin de Monzambano.

XL. Probabile fuit Fastorum Polon. scriptori Cromero & Religiosissimo Antistiti, & prima Religionum instituta observare, cum dicit libr. 2. Polon Descript. Abbatum & Præpositorum eligendorum jus Collegia Monachorum hactenus retinuere, sed iam vix retinent, ab Episcopis primum, deinde a Regibus etiam labefactatum & violatum. Et probabile eidem fuit utilitati Ecclesiæ necessitatique Reip. prospicere, quando concludit: Ad Electionem quidem certe Regius assensus & Episcopi authoritas accedat oportet.

XLI. Vim sibi illatam fuisse & esse passim in vulgus spargunt regulares. Felix, prospera, fortunata vis Monasteriis, pene cœlirus delapsa. Regem prout a primordiis fundatorem, adepti sunt Patronum habere, Collatorem, Protectorem. Abbates nanciscì illustres magnatum filios, negotiorum Reip. gnaros, sublimi Regis iudicio lectos, qui in Curia negotiis non oriis immersi, diu noctuque pro immunitate Ecclesiæ, libertate Patriæ, dignitate

tate Reip. ministerio Regis insudantes, in conspectu Principum pie, sobrie, caste, vivere didicerunt. Remoti externi, vicinæ Germaniæ peste hæresum afflati, & a gubernaculis abstinere iussi, ignari, rudes, Patrimonium Christi dissipantes. Probe disposita munia, fratres psallere, Abbates qui regimini nati & magis idonei regere & gubernare constituti.

XLII. Rex Patronus & Collator perpetuus & immemorabilis ; Nam sicut Episcopi in Provinciis Poloniæ habent jus præscriptum Abbates instituendi, Administratorem vacantibus Abbatiis dandi, electionibus præsidendi ( ut affirmat Piasecius Abbas olim Claræ Tumbæ merito dicendus Baldus Polonus ); Ita Rex nominandi seu præsentandi jus inter jura Majestatis censitum possedit & possidet præscriptione tanti temporis, cujus initii memoria non exstat.

XLIII. Tanto tempore quæsita jura patronatus Regibus Sedes Apostolica approbavit, & hodie etiamnum approbat nominatis a Regibus literas provisionis impertiendo. Scribit alicubi Cromerus : ante ætatem inqvit nostram, Erasmus Ciolek apud Pontificem Priorum Sacerdotiorum indulgentias in potestatem Regis redegit. Non piget exscribere, ut supra innuimus, quæ Stanislaus Lubienski Scriptor & Antistes integerrimus adnotavit, ut constet de continuo beneplacito summorum Pontificum. Andreæ, inquit, Batoreo Cardinali Episcopo Varmiensi loco Episcopatus Crac. ( quem contulerat Georgio Radzivilio, Cardinali Episcopo Vilnen. Sigismundus III. Rex & promisisset Batoreo ) Abbatiam adjunxit Czerwenen. ad quam cum in Sveciam iret, anno millesimo qvingentesimo nonagesimo tertio mense Augusto divertit, cum Archiepiscopo Karnkovio, & Episcopo Plocen. Baranovio, ut illius Abbatiæ possessionem traderet Cardinali Batoreo ; quod quidem Rege præsente factum fuit, multum renitentibus Monachis supereſſe adhuc Abbatem clamantibus, & jura libere eligendi Abbatis appellantibus. Sed frustra : nam Germanicus Malaspina Nuncius Apostolicus ostendit, id summi Pontificis voluntate fieri, Ni parerent præsens illis anathema interminа-

minaturus. Oper. posthum. part. I. n. 8. Non tantum hæc rata habebant summi Pontifices, sed ipsi etiam jura patronatus Regibus tribuebant asserebantque. Monachi Andrejovienses in vita B. Kadlubkonis, quam luci dederunt, ipsi fatentur, Bartholomæo Powsinio Referendario Curiæ Rom. ad commendationem Clementis VIII. Abbatiam hanc a Rege collatam fuisse, ut infra patebit.

XLIV. Sicut in Germania Capitulis electio, Cæsari investitura, Curiæ Rom. confirmatio competit, ita in Polonia Regi nominatio, Curiæ Rom. confirmatio pene ex compactatis, seu ut vocant concordatis, Privilegio Clementis VII. quod incipit. Cum singularem. Ubi dicit. Qvod coadjutoriæ ingressus & accessus ad beneficia usurpari non potest, si & iam ipsius Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis & loci Ordinarii, ac Capituli illius Ecclesiæ in qua beneficium hujusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus.

XLV. Regis nominatione Abbatiis præfecti pro gloria Regii nominis semper enituntur correspondere suæ existimationi. Exinde ipsorum munificentia Ecclesiæ Dei, & Monasteriis multa bona fluunt. Advertit has utilitates famosus nostri temporis moralium Scriptor ex ipso Cistercienſi Ordine Joannes Caramuel Episcopus Metiensis Suffraganeus Moguntinus, qui in Theologia regulari scribens de Abbatiarum Commendatariis, utilius ipsis Abbatias collocari censet & ex multis & ponderosis rationibus, utiliores esse demonstrat Episcopos commendatarios, quam Abbates formales.

XLVI. Jus patronatus Regium nemini obicem ponit assequendæ dignitatis, & præmiorum pro meritis; quin imo tramitem monstrat. Rex virtutum & ingeniorum supremus Arbiter ita Collationem suam temperat cum instituto Regulari, ut non implicet provehi Regularem Professum, dummodo sit utilis, & publico bono accommodatus.

XLVII. Iniqvum foret de injuria prætextu jurium Majestatis qveri ab his, qui ultro legem tulerunt in se ipsos, nos in-

quiunt ejuſmodi Abbatis electionem intimare & notificare ſpondemus, ut præſentibus pollicemur, ac etiam a Serenitate & Succeſſoribus legitimis votum petere & conſenſum gratioſum poſtulare & impetrare Stat. Reg. Verb. Abbas. Hanc talem ſponſionem & ſuam ſuarumque Abbatiarum cum juribus Regiæ Majeſtati ultroneam ſubiectionem, re ipſa facto & ſecuto pluries effectu, in realem & actualem ipſimet Monachi deduxerunt executionem. Cum non tantum a Regibus Abbates ſibi dari, conferri, & deſtinari peterent, ſed qvod cardo rei eſt, e gremio ſui electos exturbarent, & poſſeſſione Abbatiarum dejicerent, qvibus depulſis & ſubmotis a Majeſtate Regia præſentatos dari ſibi & ſubſtitui multifarie ſupplicarent. Ita Petro a Lwowek per Commiſſarios Benedicti Izbinski Epiſcopi Poſnanienſis Abbatia Blodzovienſi detruſo, a Rege datus & præſentatus Petrus Kaminski ſuffectus eſt. Adamus & Joannes Colonienſes poteſtate Epiſcopi loci & Regis mandato, de Abbatia Obrenſi detruſi locum dederunt obtinendæ illius Abbatiæ Joanni Bielecki, per Maieſtatem Regiam præſentato & pariter dato. Nec diſpari ratione Ioannes Węgorzewski amoto & privato Stephano Siemienski, ad Præmetenſem Abbatiam a Rege ſubſtitutus eſt. Goslavium ex Paradiſienſi Abbatia, Czarlinium ex Peplinenſi ipſi Monachi e Medio ſui lectos & creatos depulerunt, & a Regia Mejeſtate in locum ipſorum ſubſtituendos dari ſibi alios petierunt poſtularuntque.

XLVIII. Ab Anno 1460. quo hæc agebantur & retro ante, ut ſupra patuit, ſingulari Decimo octavo Rege poſſeſſionem continuante, Monaſteria nihil gravaminis comminiſcebantur, Abbatibus ad nominationem Regiam, longa nec interrupta ſerie, ſuccedentibus.

XLIX. Non poteſt igitur Rex & Reſpublica ſtante beneplacito Sedis Apoſtolicæ, & præhabita confirmatione præinſertorum poſſeſſioni ſuæ præiudicare, & Regalia alienare. Neque nociva diſſimulatione ac conniventia culpabili concedere Monaſteriis ad amiſſa regreſſum.

L. pro-

L. Proinde fruſtra imo temere petulanti impulſu, peſſimo exemplo, auſu damnabili nuper duo monaſteria Ciſtercienſium in Polonia, Andreiovienſe & Coronovienſe, quæ & Hebdovienſe ſecutum, electionem abſque præſentatione Regia attentarunt. Fruſtra Synopſes Privilegiorum peremptorias jurium typis mandari & imprimi fecerunt, & Andreiovienſe qvidem Monaſterium conſenſu Vladislai II. Principis Poloniæ a Janico Archiepiſcopo Gneſnenſi fundatum, centenaria poſt præſcriptione a Commendatariis Regum nominatione præhabita tentum: contra ſtimulum calcitrat. Cum fateatur in vita B. Vincentii Kadlubkonis a ſe edita, incipiendo a Stanislao Bialobrzeſcio Abbate, quatuor continuo ſubſequentes Adminiſtratores dictæ Abbatiæ, quibus tres alii ſucceſſerunt, a Regibus præſentatos & datos fuiſſe. Ita enim ediderunt & ediſſerunt pag. 62. qvando enumerant Abbates: Vigeſimus ſeptimus Stanislaus Bialobrzeſki, opera fratris ſui Martini Bialobrzeſki ad Abbatiam Claræ Tumbæ per Regiam Maieſtatem promotus, & hic ultimus iam fuit Abbas Andreiovienſis, ab eius enim obitu Commendatarii cœperunt eſſe. Primuſque Commendatarius fuit Stanislaus Reſcius Canonicus Varmienſis & Decanus Varmienſis, per Sereniſſimum Regem Stephanum datus, qui Nuncius Neapoli manſit. II. Commendatarius Abbatiæ Andreiovienſis fuit Bartholomæus Powſinſki per ſummum Pontificem Clementem VIII. Sereniſſimo Regi Sigiſmundo III. commendatus. Tertius Commendatarius Adamus Makowlki, qui itidem Neapoli Nuncius manſit. IV. Reverendiſſimus Remigius Koniecpolſki Epiſcopus Chelmenſis, qvi oſſa B. Vincentii Kadlubkonis An. verb. Incar. 1633. ſublevavit. &c. Pariter & Monaſterium Coronovienſe per Vislaum Epiſcopum Vladislavienſem ex bonis Comitis Boguſza conſenſu Caſimiri Ducis Cuiaviæ decreto in iuvene (ut ſcribit) Vladislavia die 10. Novembris 1262. interpoſito fundatum|: criſtas erigit: Cum ab anno 1599. præſertim morte Laurentii Zalinſki per præſentatos Regios tentum fuerit. Fruſtra privilegium Sereniſſimi Joannis Caſimiri hæc eadem Monaſteria iactant, Regalia inſcia

Rep.

Rep. alienans, ambitu privato obtentum & subreptitie emanatum, atque revocari iussum, quin imo per Serenissimum Regem Michaelem ad consvetudines & ius commune reductum, cui iam expresse collata Abbatia Vachocensi Lezenio præiudicatum. Nonne in confesso est hodiernum Commissarium Religionis Cisterciensis per Poloniam Zapolscium, post fata Dönhoffii litteris petiisse Regem suppliciter, ut dictæ Abbatiæ Andreiovienſi de Successore provideatur, potius mancipati servitio Divino enitantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddi.

# SERIES ABBATUM

*Qui nostra Patrumque nostrarum memoria ex præsentatione, & nominatione Regia successive Abbates processerunt.*

Anno 1585. Christoph Klinski, *Grodnæ nominatus a Rege Abbas Peplin.*

Anno 1599. Nicolaus Kostka, *Canonicus Culmensis Abbas Peplinensis.*

Anno 1600. Stanislaus Makowiecki, *Canonicus Varmiensis post mortem Laurentii Zalinski Abbas Coronoviensis.*

Anno 1601. Johannes Krzycki, *Secretarius Regius Abbas Coronoviensis.*

Anno 1608. Eustachius Wolowicz, *Episcopus Vilnensis Abbas Lubinensis.*

Anno 1611. Daniel Domaracki *Abbas Paradisiensis.*

Anno 1612. Nowodworski, *Abbas Præmetensis.*

Anno 1633. Jacobus Piasecki, *Archidiaconus Vladislaviensis per viam Coadjutoriæ Abbas Coronoviensis.*

Anno 1642. Nicolaus Sulgostowski, *Canon. Gnesnen. Abbas Præmetensis.*

Anno 1645. Sigismundus Sulinski, *Canonicus Gnesnen. Abbas Præmetensis.*

Anno 1652. Nicolaus Krosnowski, *Post mortem Piasecii Abbas Coronoviensis quem secutus Carolus Czolanski,*

Anno

Anno 1664. Petrus Dębiński, *Abbas Coronovienſis.*
Anno 1668. Leonardus Rębowſki, *poſt mortem Felicis Kos Abbas Peplinenſis.*

## De Jure Patronatus ad Abbatias Recentiori Memoria.

Andreas Leſczyński, *Abbas Præmetenſis Archiepiſcopus Gneſnenſis.*
Nicolaus Prazmowſki, *Abbas Sieciechowienſis Archiepiſcopus Gneſnenſis.*
Stanislaus Grochowſki, *Abbas Sieciechowienſis Archiepiſcopus Leopolienſis.*
Joannes Tarnowſki, *Abbas Claræ Tumbæ Archiepiſcopus Leopolienſis.*
Joannes Prochnicki, *Abbas Sieciechowienſis Archiepiſcopus Leopoliens.*
Princeps Carolus, *Abbas Czerwenenſis Epiſcopus Plocenſis.*
Albertus Gniewoſz, *Abbas Copriunicenſis Epiſcopus Vladislavienſis.*
Andreas Gembicki, *Abbas Tremeſnenſis Epiſcopus Luceorien.*
Thomas Lezeński *Abbas Wachocen. Epiſcopus Luceorien.*
Paulus Piaſecki, *Abbas Claræ Tumbæ Epiſcopus Præmislien.*
Joannes Stempkowſki, *Abbas Hebdovienſis Epiſcopus Camenecen.*
Joannes Sokołowſki, *Abbas Tremeſnen. Epiſcopus Kijovienſis.*
Sigiſmundus Czyzewſki, *Abbas Paradiſien. Epiſcopus Camenecen.*
Joannes Czarnecki, *Abbas Czervenen. Epiſcopus Camenecen.*
Stanislaus Pſtrokoński, *Abbas Tynen Epiſcopus Chelmen.*
Remigius Koniecpolſki, *Abbas Andrejovien. Epiſcopus Chelmen.*
Joannes Rozycki, *Abbas Mogilnicen. Epiſcopus Chelmen.*
Otto Schonnig *Abbas Sulejovien. Epiſcopus Venden.*
Lucas Radoſzewſki, *Abbas Sanctæ Crucis Epiſcopus Kijovien.*
Stanislaus Trzebiński, *Abbas Andrejovienſis Epiſcopus Præmislienſis.*
Andreas Miaſkowſki, *Abbas Tremeſnen. Secretarius magnus.*
Johannes Lipſki, *Abbas Vachocen. Referendarius Regni.*
Martinus Starczewſki, *Abbas Tremeſnen. Referendarius Regni.*
Joannes Firli, *Abbas Tinecen. Referendarius Regni:*
Nicolaus Ruſzkowſki, *Cuſtos Warſawienſis Abbas Paradiſien.*

Stanislaus Rumiſzewſki, *Abbas Paradiſien. Secretarius Regni.*
Nicolaus Wierzbowſki, *Secretarius Regni Abbas Paradiſien.*
Stanislaus Makowſki, *Legatus in Hiſpanias Abbas Lubinen.*
Jacobus Lopiecki, *Secretarius Regius Abbas Lubinen.*
Stanislaus Riſzevvſki, *Secretarius Regius Abbas Lubinen.*
Johannes Bronikowſki, *Canonicus Poſnanien. Abbas Bledzovien.*
Stanislaus Oſtrovvſki, *Secretarius Regius Abbas Vachocen.*
Stanislaus Komorowſki, *Regens Cancellariæ Regni Abbas Vachocenſis.*
Johannes Goſtomſki, *Secretarius Regius Abbas Vachocen.*
Alexander Dönhoff, *Secretarius Regius Abbas Andrejovien.*
Felix Mierlicki, *Archidiaconus Poſnanien. Abbas Vitovien.*
Stanislaus Mieſoſzevvſki, *Secretar. Reg. Abbas Tremeſnen.*
Johannes Kozelſki, *Secret. Reg. Abbas Vagrovecen.*
Johanes Chrzonovvſki, *Secretar. Reg. Abbas Vagrovecen.*
Johannes Dunin, *Secretar. Reg. Abbas Obrenſis.*
Adamus Trebnicz, *Secretar. Reg. Abbas Oliven.*
Stanislaus Sierakovvſki, *Secretar. Reg. Abbas St. Crucis.*
Johannes Sierakovvſki, *Secretar. Reg. Abbas. St. Crucis.*
Joannes Keſovvſki, *Secretar. Reg. Abbas Oliven.*
Stanislaus Plaza, *Secretar. Reg. Abbas Vitovien.*
Joannes Reſzka, *Secretar. Reg. Abbas Peplinen.*

## *ABBATES SUPERSTITES.*

Celſiſſimus Princeps Illuſtriſſimus Andreas Olſzovvſki, *Abbas Andrejovien: modernus Primas Regni.*
Illuſtriſſimus Andreas Trzebicki, *Abbas Czervien. modernus Epiſc. Cracov.*
Illuſtr. Stephanus Wierzbovvſki, *Abbas Paradiſienſis modernus Ep. Poſnan.*
Illuſtr. Stephanus Wydzga, *Abbas Sieciechovienſis modernus Epiſc. Varmien.*
Illuſtr. Stanislaus Sarnovvſki, *Abbas Sulejovienſ. modernus Epiſcop. Præmisl.*

Illuſtr.

Illustr. Franciscus Prazmoski, *Abbas Sieciechov. Secretarius Magnus.*
Illustr. Ioannes Malachovvski, *Abbas in Magilno Referend. Regni.*
Reverendissimus Casimirus Sczuka, *Abbas Paradisien. Præpositus Varsav.*
Reverend. Joannes Lescznski, *Abbas Czervensis Præpositus Lovicensis.*
Excellentissimus Hieronymus Lubomirski, *Maltensis, Abbas Tinecensis.*
Reverend. Sbigneus Osolinski, *Abbas Copriunicen.*
Reverend. Casimirus Opalinski, *Abbas Bledzovien.*
Reverend. Chrysostomus Gninski, *Abbas Vagrovecen.*
Reverend. Stanislaus Miaskovvski, *Abbas Obrensis.*
Reverend. Mathias Miaskovvski, *Abbas Tremesnen.*
Reverend. Joannes Goski, *Abbas St. Crucis.*
Reverend. Carolus Locknicki, *Abbas Oliven.*
Reverend. Christophorus Zegocki, *Abbas Præmeten.*
Reverend. Alexander Wolff, *Abbas Coronovien.*
Reverend. Ignatius Gninski, *Abbas Coronovien.*
Reverendissimus Joannes Zapolski, *Commissarius Ord. Cistercienfis Abbas Landensis.*

*Præsentationes ad Abbatias factæ a Sereniss. Poloniæ Regibus, & Potent. Sigismundo* III.

Plocense Monasterium S. Adalberti S. Ordinis S. Benedicti Plocensis Diœcesis, commendatum fuit Stanislao Starczovvski Episcopo Lacedæmoniensi cum expressione juris patronatus sub *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem 3. Kalend. Aprilis. Anno* 10. *Pauli Papæ V.*

*Regestrata lib. 6. Secretorum. folio 265.*

A Vladislao IV Rege Poloniæ.

Bledzovience Monasterium Cistercienfis Ordinis Posnanien-sis Diœcesis. Coadjutoria dicta Monasterii pro Theodoro Pa-

wlowſki profiteri volente cum expreſſione juris patronatus de conſenſu Vladislai Regis. *Datum Romæ apud S. Petrum Kalend. Decemb. anno 9. Urbani Papæ* VIII.

*Regeſtrata Lib. 15. Secretorum folio* 159.

Vangrovecenſe Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis Gneſnenſis Diæceſis. Coadjutoria dicti monaſterii in titulum cum expreſſione juris patronatus data fuit Alberto Samueli Chrzanowſki profiteri volenti de conſenſu Regis Vladislai. *Datum Romæ apud. S. Mariam Maj. 5. Idus Maij Pontificatus Urbani Papæ* VIII. *anno* 8.

*Regeſtrata lib. 17. Secretorum folio* 58.

Andrejovienſe Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis Cracovienſis Diœceſis per Coadjutoriam commendatum fuit Alexandro Dönhoff Clerico ſæculari cum expreſſione juris patronatus de conſenſu Regis Vladislai. *Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Maij anno* 20. *Urbani Papæ* VIII.

*Regeſtrata lib. 27. Secretorum folio* 182.

Bernecenſe Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis, Poſnanienſis Diœceſis commendatum fuit Nicolao Dunniſoligowſki, Presbytero ſæculari a Monachis ad nominationem Regis Vladislai poſtulato cum expreſſione juris patronatus & poſtulationis. *Datum Romæ apud S. Petrum* 30. *Nonas Iunii. anno* 1. *Innocentii Papæ* X.

*Regeſtrata lib. 5. Secretorum folio* 119.

Coronovienſe Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis Vladislavienſis Diœceſis in titulum Joanni Carolo Cholkawiki Clerico profiteri volenti cum retentione Scholaſteriæ Leopolienſis ad nominationem Regis Vladislai a Monachis poſtulato cum expreſſione juris patronatus & poſtulationis, *Datum Romæ apud S. Petrum* 4. *Kalend. Decemb. anno* 2. *Innocentii P.* X.

*Regeſtrata lib* 2. *Secretorum folio* 3.

A Rege Ioanne Caſimiro.

Lubinenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti Poſnanienſis Diœceſis datum fuit per Coadiutoriam in Commendam Stepha-

no

no Piaſecki cum expreſſione juris patronatus & de conſenſu Regis Joannis Caſimiri. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 9. Kalend. auguſti anno 5. Innocentii P.* X.

*Regeſtrata lib. 6. Secretorum folio 153.*

Plocenſe Monaſterium S. Adalberti Ordinis S. Benedicti, Plocenſis Diœceſis commendatum fuit Thomæ de Ruſiencevvo Ujeyſki præſentato a Joanne Caſimiro Rege cum expreſſione juris patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 4. Kalend. Junii anno 5. Innocentii Papæ* X.

*Regeſtrata lib. 5. Secretorum folio 196.*

Tremeſnenſe Monaſterium Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Gneſnenſis Diœceſis commendatum fuit Martino Karczevvſki cum expreſſione juris patronatus ad nominationem Joannis Caſimiri Regis. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 8. Idus auguſti anno 6. Innocentii Papæ* X.

*Regeſtrata lib. 7. Secretorum folio 148.*

Vitovienſe Monaſterium Ordinis Præmonſtratenſis Poſnanienſis Diœceſis commendatum fuit Adriano Gorlevvski Suffraganeo Gneſnenſi a Rege Joanne Caſimiro præſentato cum expreſſione juris patronatus. *Datum Romæ 4. Idus Januarii anno 7. Innocentii Papæ* X.

*Regeſtrata lib. 7. Secretorum folio 125.*

Paradiſienſe Monaſterium, Ciſtercienſis Ordinis, Poſnanienſis Diœceſis apud Sedem vacantem commendatum fuit Joanni Deſmolenski grato & accepto Joanni Caſimiro cum expreſſione juris patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M. Idibus Novembris anno 8. Innocentii P.* X.

*Regeſtrata lib. 8. Secretorum folio 12.*

Claræ Tumbæ Monaſterium, Cracovienſis Diœceſis fuit datum in commendam Joanni Archiepiſcopo Leopolienſi, præſentato a Joanne Caſimiro Rege cum expreſſione iuris patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 16. Kalend. Septemb. anno 1. Alexandri Papæ.* VII.

*Regestrata lib.* 1. *Secretorum folio.* 166.

Miechovienſis Præpoſitura S. Sepulchri Ordinis S. Auguſtini, Cracovienſis Diœceſis data fuit in commendam Choricinski, præſentato a Joanne Caſimiro Rege, cum expreſſione iuris patronatus. *Sub datum Romæ apud S. Maria M.* 8. *Idus auguſti anno* 1. *Alexandri Papæ* VII.

*Regestrata lib.* 1. *Secretorum folio* 125.

Przemetenſe Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis, Poſnanienſis Diœceſis, commendatum fuit Andreæ Mialkovvski præſentato a Rege Joanne Caſimiro, cum expreſſione iuris Patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M.* 3. *Idus Decemb. anno* 3. *Alexander P.* VII.

*Regestrata lib.* 3. *Secretorum folio* 298.

Sulejouienſe Monaſterium, Ciſtercienſis Ordinis, Gneſnenſis Diœceſis, commendatum fuit Stanislao Sarnovviki ad nominationem Joannis Caſimiri cum expreſſione iuris patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M.* 4. *Idus Julii anno* 5. *Alexandri Papæ* VII.

*Regestrata lib.* 7. *Secretorum folio* 292.

Tynicenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti, Cracovienſis Diœceſis commendatum fuit Auguſtino Georgio Lubomirſki a Rege Joanne Caſimiro nominato cum expreſſione iuris patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M.* 3. *Nonas Martii anno* 6. *Alexandri P.* VII.

*Regestrata lib.* 7. *Secretorum folio* 147.

Cericovienſe Monaſterium, Ordinis S. Benedicti, Cracovienſis Diœceſis, commendatum fuit Nicolao Prazmovvſki Epiſcopo Luceorienſi cum expreſſione iuris patronatus. *Datum in arce Gandulphi* 5. *Idus Maij anno* 6. *Alexandri P.* VII.

*Regestrata lib.* 6. *Secretorum folio* 263.

Mogilnecenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti, Gneſnenſis Diœc dat. fuit per Coadjut. in commendã Joanni Roziens Presbytero cum expreſſione iuris patronatus & de conſenſu Joannis Caſimiri

siimiri. *Datum Roma apud S. Mariam M. pridie Kal. Dec. anno 6. Alexandri P.* VII.

*Regestrata lib. 8. Secretorum folio* 10.

Sanctæ Crucis Monasterium, Nicolaus Gorski, Cantor Varsavienſis, Præpositus Lublinenſis ad præsentationem Joannis Casimiri Regis eligitur in Abbatem dicti Monasterii ab Illustr. D. Andrea Trzebicki Episcopo Cracovienſi in Ecclesia Sancti Francisci, facta prius regulari Professione in manibus Episcopi die 1. Augusti 1662. benedicitur, constat ex Archivo dicti Monasterii.

Sieciechovienſe Monasterium S. Benedicti, Congregationis Cluniacenſis, Diœcesis Cracovienſis commendatum fuit Francisco Prazmovvski cum expressione iuris patronatus de consensu Regis Joannis Casimiri. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 3. Kal. Augusti anno 5. Clement. Papæ* IX.

*Regestrata lib. 3. Secretorum folio 254.*

Cervinenſe Monasterium Canonicorum Regularium, Diœceſis Plocenſis, commendatum fuit Thomæ Alexandro Czavvnakielki ad præsentationem Regis Joannis Casimiri cum expressione iuris patronatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 13. Kal. Aprilis anno* 10. *Alexandri P.* VII.

*Regestrata lib. 4. Secretorum folio* 141.

Wachocenſe Monasterium, Cistercienſis Ordinis, Diœceſis Cracovienſis datum fuit per Coadiutoriam in commendam Nicolao Lesenski cum expressione juris patronatus & de consensu Regis Joannis Casimiri. *Datum Romæ apud S. Petrum 15. Kalend. Junii anno 1. Clementis papæ* IX.

*Regestrata lib. 3. Secretorum folio 79.*

Hebdovienſe Monasterium, Præmonstratenſis Ordinis, Cracovienſis Diœceſis, commendatum fuit Gotthardo Tisenen Episcopo Metonenſi Suffraganeo Vilnenſi a Monachis ad Nominationem Regis Joannis Casimiri postulato cum expresſione iuris patronatus & Electionis Monachorum. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 7. Idus Decemb. anno 1. Clem. P.* IX.

Rege-

*Regestrata lib. 1. Secretorum folio 269.*

**A Rege Michaele.**

Mogilnense Monasterium, Ordinis S. Benedicti Gnesnensis Diœcesis, commendatum fuit Joanni Malakovvski Presbytero nominato a Rege Michaele. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 16. Kal. Augusti anno 1. Clementis Papæ* IX.

*Regestrata lib. 1. Secretorum folio 125.*

Andrejovienſe Monaſterium, Ciſtercienſis Ordinis, Cracovienſis Diœceſis, præſentato a Rege Michaele cum expreſſione iuris Pattonatus. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 6. Idus Novemb. Anno 3. Clementis Papæ* X.

*Regestrata lib. 5. Secretorum folio 284.*

Miechovienſe Monaſterium, Petrus de Pila Kinski de conſenſu Michaelis Regis cum expreſſione iuris Patronatus datus fuit Coadiutor in Monaſterio Præpoſitura nuncupato Alberto Archiepiſcopo Leopolienſi. *Datum Romæ apud S. Mariam M. 13. Kalend. Oct. anno 5. Clementis Pap.* X.

*Regestrata lib. 7. Secretorum* 209.

*Præsentationes Factæ a Ser. Rege Joanne III. Cum Expressione Juris Patronatus.*

Lubinenſe Monaſterium, Stephanus Piaſecki datus fuit Coadjutor in Monaſterio Lubinenſi Dodrzeokovvſki Presbyter cum expreſſione iuris Patronatus, & de Conſenſu Seren. Regis. *Datum Romæ apud S. Petrum 8. Idus Martii Anno 1. Innocentii P.* XI.

*Regestrata lib. 1. Secretorum folio. 219.*

Michovienſe Monaſterium, Præpoſituræ nuncupatum, Ordinis S. Sepulchri, Cracovienſis Diœceſis de commenda datum fuit in titulum Petro de Pila Koricinski, qui Profeſſionem emiſerat, cum expreſſione Juris Patronatus & de conſenſu Regis Joannis III. feliciter regnantis. *Datum Romæ apud S. Mariam M. Non. Kal. Dec. anno 2. Innocentii Papæ* XI.

Rege-

*Regeſtrata lib. 2. Secretorum folio 173.*

Ad Czervinenſe Monaſterium, Plocenſis Diœceſis, Canonicorum Regularium præſentatus fuit Boguslaus Leſinſki, ut ex Bullis Innocentii Papæ XI. 4. Non. Julii 1680. Et per iſtius promotionem ad Eccleſiam Luceorienſem Nicolaus Wyrycki Monachus profeſſus ut ex bullis Alexandri Papæ.

Lubinenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti, Poſnanienſis Diœceſis, commendatum Stanislao Epiſcopo Camenecenſi ad præſentationem Sereniſſimi Regis Joannis III. *Datum Romæ apud S. Petrum 12. Kal. Julii anno 6. Innocentii Pap.* XI.

*Regeſtrata lib. 7. Secretorum folio 181.*

Miechovienſe Monaſterium per obitum Petri de Pila Koryciński commendatum fuit ad præſentationem Seren. Regis cum expreſſione juris patronatus Joanni Stanislao Epiſcopo Præmiſlienſi. *Datum Romæ 6. Kal. Sept. anno 6. Innocentii* XI.

*Regeſtrata lib. 7. Secretorum folio 261.*

Et per promotionem dicti Joannis Stanislai commendatum fuit ad propoſitionem moderni Seren. Regis Eminent. Cardinali Radziejowiki. *Datum Romæ apud S. Mariam. M. 8. Idus Junii 1689. anno 13. Innocentii* XI.

Wachocenſe Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis, Cracovienſis Diœceſis, commendatum fuit Andreæ Zaluſki præſentato a moderno Seren. Rege cum expreſſione iuris patronatus. *Datum Romæ apud S. Petrum 3. Kalend. Maij Anno 6. Innocentii Papæ* XI.

*Regeſtrata lib. 8. Secretorum folio 154.*

Mogilnicenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti Gneſnenſis Diœceſis, commendatum fuit Nicolao Zabicki ad præſentationem moderni Sereniſſimi Regis cum expreſſione iuris patronatus. *Romæ apud S. Mariam M. 15. Kalend Decemb. Anno 9. Innocentii Pap.* XI.

Tynicenſe Monaſterium commendatum fuit Joſepho Principi Lubomirski ad præſentationem moderni Seren. Regis cum

expreſſione juris Patronatus. *Datum Romæ 5. Kal. Febr. Pontificatus Innocent.* XI *Anno* 13.

Plocenſe Monaſterium S. Adalberti, Plocenſis Diœceſis, per promotionem Joannis Stanislai ad Eccleſiam Poſnanienſem præſentatus fuit a moderno Rege Sereniſſimo, Stanislaus Boglemſki, cum expreſsione iuris patronatus. *Sub datum Romæ* 18. *Kal. Aprilis Pontificatus Alexandri. PP.* VIII.

Ad Abbatiam S. Crucis ad præſentationem moderni Sereniſsimi Regis fuit poſtulatus a Monachis Nicolaus Godſki, qui expleto anno Novitiatus Ordinaria authoritate juxta antiqvam Praxin a Rev. Domino Joanne Malachowſki Epiſcopo Cracovienſi in Abbatem benedictus, & hoc conſtat ex Archivo dicti Monaſterii S. Crucis.

Imo Sereniſſimus Joannes III. jam ter præſentavit ad Abbatiam S. Crucis incluſum Dominum Wychowſki moderuum Abbatem legitime electum ac a Monacho Mirewſki iniqviſsme vexatum, & per calumnias Romæ ab eodem delatum.

AD AB-

ad pag. [90]

# Ad ABBATIAS in POLONIA ab immemorabili a REGIBVS ABBATES nominati.

| AD ABBATIAM | ANNO | DIOECESIS | PONTIFICE | REGE | ABBATES EX ACTIS |
|---|---|---|---|---|---|
| Blodzieiensem Canonic9 Posnan. nominatus | 1576 | Posnaniensis | Gregorio XIII. | Stephano | Joan. Bronikowski Archivi Posnan. |
| Premeten. Suffraganeus Posnan. nominatus | 1597 | Posnaniensis | Clemente VIII. | Sigism. III | Jacobus Bozynski Archivi Posnan. |
| Peplinens. Canonicus Culmen. nominatus | 1599 | Vladislav. | Clemente VIII. | Sigism. III | Nikolaus Kostka Archivi Vladisl. |
| Coron. Cantor Vladislavien. nominatus | 1600 | Vladislav. | Clemente VIII. | Sigism. III | Stanisl. Makowiecki Archivi Vladisl. |
| Premeten. Canonicus Gnesn. nominatus | 1604 | Posnanensis | Clemente VIII. | Sigism. III | Christoph Karsnicki Archivi Vladisl. |
| Lublinen. Canonicus Cracov. nominat | 1604 | Posnanensis | Clemente VIII. | Sigism. III | Jacobus Zempicki Archivi Posnan. |
| Premeten. Præpositus Califfien. nominat. | 1607 | Posnaniensis | Paulo V | Sigism. III | Stephan. Charbicki Archivi Posnan. |
| Lublin. Refer. M D. L. & Episc nominat. | 1608 | Posnaniensis | Paulo V | Sigism. III | Eusta. Wolowicz Archivi Posnan. |
| Premeten. Episcopus Posnan. nominat | 1615 | Posnaniensis | Paulo V | Sigism. III | Adam Nowodworski Archivi posnan. |
| Coronovien. Archid. Vladisl, nominat. | 1633 | Vladislavienſis | Urbano VIII | Vladisl. IV | Jacobus Piasecki Archivi Vladisl |
| Corovien. Scholasti. Leopol. nominat. | 1645 | Vladislavienſis. | Innocent. X | Vladisl. IV | Carolus Crolanski Archivi Vladisl |
| Siecischov. Archiepiscp. Gnesnen. nominat. | 1645 | Vladislavienſis. | Innocent. X | Vladisl. IV | Stephanus Wydzga Datariæ Romanæ |
| Tremesnensem nominatus. | 1645 | Gnesnensis | Innocent. X | Vladisl. IV | Alex. Ep. Cujavien. Datariæ Romanæ |
| Cizernensem nominatus. | 1645 | Plocensis | Innocent. X | Vladisl. IV | Nicol. Ep. Vrender. Datariæ Romanæ |
| Premeten Canonic. Posnan. nominat, | 1645 | Posnaniensis | Innocent. X | Vladisl. IV | Stanislaus Wogortz Datariæ Romanæ |
| Wachovien. Regens. Canc. Regni nomin. | 1646 | Cracoviensis | Innocent. X | Vladisl. IV | Joan. Komowowski Datariæ Romanæ |
| Premeten. Canonic. Gnesnen. nominat. | 1646 | Posnaniensis | Innocent. X | Vladisl. IV | Sigismund. Sulinski Datariæ Romanæ |
| Miechovien. Epicsop. Plocen. nominat. | 1647 | Cracoviensis | Innocent. X | Vladisl. IV | JoannesDębicki Datariæ Romanæ |
| Coronovien. Episcop. Venderilis nominat. | 1652 | Vladislavienſis. | Innocent. X | Joanne Casimir. | Nicolaus Kbonoski Archivi Vladislav |
| Tynecens. Episcopus. Chelm. nominat. | 1654 | Cracoviensis | Innocent. X | Joanne Casimir. | Stanislaus Episcop. Datariæ Romanæ |
| In Mogilla Archie. Leopol. nominat. | 1655 | Cracoviensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Joannes Archiep. Datariæ Romanæ |
| Ad Præposituram Miechov. nominat. | 1655 | Cracoviensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Korincinski Episcop. Datariæ Romanæ |

| Ad Abbatiam | anno | Dioecesis | Pontifice | rege | Abbates ex | Actis |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Abb. Premet. Archiep. Leop. nominat. | 1655 | Posnan-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Joannes Archiep. | Datariæ Romanæ |
| Tynecensem Maltensis nominatus. | 1656 | Cracovi-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Greg. Lubomier. | Datariæ Romanæ |
| Prem. Reffe Regni Abb. ad Stem. & Promot. no. | 1658 | Posnani-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Andreas minskowski | Datariæ Romanæ |
| Sukiovien. nunc Episc. Vladislav. nominat. | 1660 | Cracovi-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Stanislaus Sarnoski | Datariæ Romanæ |
| Sieciechov. Archiep. Gnesn. nominat. | 1661 | Cracovi-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Nicolaus Prazmowski | Datariæ Romanæ |
| Wilkovienſ. Archiep. Kamen. nominat. | 1661 | Cracovi-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Lanteo-ſonſki. | Datariæ Romanæ |
| Tinecensem nominatus. | 1661 | Cracovi-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Powiato-wski | Datariæ Romanæ |
| Obrensem Propositus Woynicensis ex par. ad Abb. Bledien promoto. Joan. Casim. nunc Coad. Ep. Posnan. | 1661 | Posnani-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Stanislaus Marskowski | Opalinski Ipso Originali |
| Paradisien. ex S. Abbatia ad Episc Posnan. promoto Stephano Wierzbowski Superstite seu Regen. nominatus | 1662 | Posnani-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Nikolaus wierzowski. | Ipso Originali |
| Coronov. Canonicus Cracov nominat. | 1664 | Vladisla-viensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Petrus Denberski | Ipso Originali |
| Ad Abbatiam Wonchocensem ex S. Abbatia ad Episcop. Luceorienſ. promoto Thoma Leszynski Canon. Cracov. nominat cui Nicolaus succeſſit poſt obitum nunc nomin. Andr. Zaluski | | | | | | |
| Cancell. Seren. Reginæ | 1665 | Cracovi-ensis | Alexand. VII | Joanne Casimir. | Nicolaus Leszynski | Ipso Originali |
| In Mogilno nunc Cancell. Reg. Ep. Culmen. | 1669 | Gnesnen sis | Clement. IX | Michaele | Joannes Malachowski | Datariæ Romanæ |
| Andreiov. Archiepisc. Gnesnen. nomin. | 1669 | Cracovi-ensis | Clement. IX | Michaele | Andreas Olszowski | Datariæ Romanæ |
| Cui Andreæ poſt obitum ſucceſſit nunc Illuſtriſſim. Stanisl. Lipski Archiepiſc. Leopolienſis | | | | | | |
| Coronovien. Archid. Stemenſ. nomin. | 16-- | Vladisla-ensis | Clement. X | Michaele | Ignatius Gninski | Datariæ Romanæ |
| Lublinenſ. Archid. Posnan. nomin. | 16-- | Posnani-ensis | Clement. X | Joanne III. | Albertus Dobrsel | Datariæ Romanæ |
| Vitonien. Canonicus Cracov. nominat. | 16-- | Cracovi-ensis | Clement. X | Joanne III. | Gregor. Dynhoff | Datariæ Romanæ |
| Non excludimus a nominatione Regia Profeſſionem bene meriti ita nuper. | | | | | | |
| Ad Suleovienſ. Coad. no. | | Cracov. | | Joan. III. | Zaruski | |
| Ad Peplinen. nominatus. | | Vladisl. | | Joan. III. | Los | |
| Olivien. Coadj. nomin. | | Vladisl. | | Joan. III. | Hacki | |

§. XIV.

Quæ porro regnante Johanne III. sint acta, idem Zaluski, communicans cum lectore Epistolam Regis ad Patrem Vota, nec non libellum supplicem ecclesiasticarum personarum extra cœnobia viventium, quem P. Vota Pontif. Max. Innocentio XII. tradidit, palam fecit: eaque sic se habent:

## COPIA LITERARUM

## Seren: Regis Joannis III. *Ad Patrem Vota Societatis JESU in Negotio Abbatiarum.*

*VEnerabilis &c. Ex Litteris Fid. Tuæ secunda a reditu suo Neapoli posita datis intelleximus, quod tandem cum tædio expectatas nostras receperit, quas omni septimana exacte scribi curamus, ut sit plane informata, informareque aulam, in qua nunc est, possit de iis, quæ hic aguntur.*

*Punctum hoc, qvod est sub incude, de Abbatiis in commendatarios, claustrales, Abbates dividendis nunquam acceptassemus, nisi a Fid. tua, qvod aliter fieri nequeat, certiores redditi fuissemus. Per quotidianam non sine ingenti animi angore scimus experientiam, & ex antecedenti infallibilem formavimus consequentiam, quod major quotidie per ambitionem, uti malum jam familiare, qvod nunc non modo non vitatur, sed etiam colitur in Religiosis, crescendi cupiditas, minor verecundia esset, & decisio hæc non ita nobis prodesset, ut non lædere possit. Struerent enim continuo veterum institutorum, & pressioris disciplinæ totaliter obliti ex pravo jam usu quæsitis coloribus adumbratas prætensiones Monachi, quærerentur, ubi qveri non esset necesse ut læsi, ideo ut magis lædant, ac proinde cum studemus fugere fumum incideremus in flammam. Plurimæ erant, suntque rationes, quæ nos Senatumque nostrum movebant, ut projectum hoc totaliter mutandum petiissemus, supplicabundi Serenitati suæ, ut a conspectu tantæ ambitionis, quam nostra non sine ingenti scandalo videt ætas, nos Regnumque nostrum non tantum curativa, verum etiam præservativa, liberet gratia. Sed cum ultimum hunc gradum nec mutari valentes a Fid. Tua proponere nobis crederemus, ventum quia directus non erat, captandum obliqvum, in suppositione eadem admittenda quædam mala minora,*

nora, ut propellantur majora, judicavimus. Cum vero ex matura deliberatione perpensis omnibus, quæ bona & Ecclesiæ proficua reperiantur, alia media quæ & conscientiæ, emolumento & Correctioni Religiosorum, honori nostro, utilitati Ecclesiæ, Regni decori magis consona sunt, proponenda ea per Fid. tuam censemus. Nihil tam necessarium quam cognoscere, qvid non sit necessarium. Abbates Claustrales nihil profuturos Ecclesiæ, per constitutionem eorundem ambitioni tantum quæ vetabitur semper, & semper retinebitur, locum luxui consveto, occasionem discordiarum notarum inter ambientes fomitem fore nullus dubitat. Cur ergo Præsides tantum, qui regere melius sine sumptu nimio, sine luxu scandaloso poterunt, sub Commendatariis ad regimen non declarandi? Hoc tantum præcauto, ut iidem de triennio in triennium in præsidentia Commendatarii, vel eius delegati Commissarii, per libera Religiosorum Vota, nec a Vicario Generali Religionis coacta, pretioque plerumque conquisita, meliores, Sanctiores, & disciplinis Religiosæ amantiores eligantur. Per quod revocaretur, qvi nunc totaliter exulat, Spiritus Ecclesiasticus, rediret fervor in Colendo Deo, ex integro dissipatus, cessaret inradicata plane animis Religiosorum ambitio. Scimus, videmusque S. S. suam nullam actionem incipere, & perficere, quæ non ad immortalem cedat gloriam, non minor aliis hæc & forte æterna foret, si ea quæ malo magis exemplo, quam concesso jure, memoria ipsius Sanctitatis Suæ, quam reverenter compellamus, per ambitionem quorundam post votum paupertatis solenni juramento firmatum, incepta & cum tanto iurium nostrorum & Regni præjudicio pertinaciter disputata in orbitam, ad perpetuam erubescendæ rei oblivionem, ex Paterno suo in Ecclesiam Polonam zelo reduxerit.

Quod ut Fid. tua ex innata sua, quam mirari satis, laudareque non possumus activitate velociori in fine motu diligentissime procuret, serio requirimus. Declarantes omnino id nobis placere modo, placiturumque semper qvod Fid. tua optimum pro re nostra Regnique nostri judicaverit. Id quippe nobis videtur habere rationem, quod habet justitiam.

Dum miserabilem rerum nostrarum statum, in quo prævalent jam fata consiliis exarare, uti est Fid. tuæ, ad referendum volumus, prorumpunt prius lacrymæ antequam verba, post rupta, per summam malitiam (judex sit Deus & vindex) Comitia, quanquam res adversæ consilium adi-

adimant, initis Grodnæ rationibus, ne pereamus in fine, in itinere Varsaviam infausta accepimus nova, de summa post parvam tranquilitatem, tempestate, hoc est de irruptione Tartarorum in optimam, quæ jam unica illis in partibus erat, Russicæ Provinciæ Regionem, quam ferro & igne funditus devastarunt, ad medium tantum Leucæ Styrium usque pertingendo, hominum ingentem numerum abducendo. Quadraginta millia Tartarorum cum filio Hani fuisse pro certo asserunt. Crebra hæc, nec modica damna animum nostrum non perfunctorie perstringunt, dum alii saltem hyeme vacant, nos continuo sub papilionibus, sub frigido cœlo in hisce terris excubare tenemur. Cum enim quid pertransiverit, sciamus, quid futurum sit prævidemus; facient quippe eadem sagittis suis velociores Tartari, dum se feciisse impune videbunt. Nos quidem ex persona nostra profitemur esse, quod sumus infracta fortuna, integrum animum conservamus, justum tamen præsidium, adæquatam defensionem quærimus magis, quam invenimus. Relictus a nobis in Brzezany pro defensione illarum Regionum Illustris Campiductor Generalis Palatinus Cracovienſis, nomen magis Exercitus, quam robur secum esse scribit, cum in desertis locis hyeme tota constitutus miles, cui ferocior domi egestas, quam alibi hostis, subsistere non potuisset, prius enim commeatus penuriam, quam inimicum depellere necesse erat, nullo modo retineri potuit, sed multi ex defectu & necessitate, signa relinquere, domumque intra Poloniam redire coacti sunt. Hinc est quod dicto Palatino facultatem aggrediendi hostem, non voluntatem deesse videmus. Quod tamen fieri potuit, remis utendum cum deficit aura rati: expedivimus pro diuersione facienda avidos famæ, & priscæ Polonae gloriae memores Capitaneum Casimirienſem, Lubomierski, & Venatorem Regni Potocki, credimusque usque in Buczziack cum gratia Dei perventuros. Velle amplissimum nobis concessum, nisi posse limitibus artis definiretur, sine pennis quippe volare difficile est. Quidquid opes, gazaque Regia potest, prompta beneficentia impendimus, obliti etiam antiqui moniti: da egenti, sed ut ipse non egeas, minus super privatas necessitudines, minime super particulare domus nostrae Regiae intenti sumus patrimonium. sed & his sufficere amplius poterit? arma sine stipendiis, est stipendia sine tributis solvi, tributa in tanta populorum nobis subjectorum egestate colligi vix ac ne vix quidem possunt. Labenti-

*bus ergo unde quaeremus subsidia rebus? nisi ad gratiam adjuvantem Sanct. Suae confidenter & necessario recursum faciamus. Optime novit optimus Pater tempus, quo cuique debeat succurrere.*

*Habuimus quoque (undique mala intus bella, foris terrores) ex Moschovia a Residente nostro plenam conferentiae cum Ministris ejus Regni relationem, quam annectere Fid. tuae jussimus, ex qua dolenda pro nobis, erubescenda pro Moschis leget, & aperta hostilitatis indicia, quaesitos offensionum praetextus, concluſam omnino ab eis secreto cum Tartaris pacem, facile intelliget, & quae moliantur. Concludet &c. &c.*

# SUPPLEX LIBELLUS

## *A Clero Polono ad manus ejusdem P. Vota Romæ degentis missus & Pontifici Maximo Innocentio* XII. *traditus.*

*Beatissime Pater.*

INnocenti innocentum optime, & quotquot in excelso habita- vere Pontificum, maxime. Qui sedes super militantis Ecclesiæ Cherubin & Seraphin. In cujus verbo, qvod caro & sanguis non revelavit, sustinet anima nostra. Qvi commissum tibi Divinitus gregem sapientia pascis, doctrina confirmas, exemplo regis, ac veteri disciplina reformas. Qvi esurientes imples bonis, egenos ditas, quos tibi paternus amor & filios, & fratres, & sorores adoptat. Cuius denique natura bonitas, viscera charitas.

Innocenti pauperum Pater ac consolator optime, pauperrimas Sarmatici Orbis Ecclesias olim florentissimas ac speciosissimas, qvas æstus bellorum fere qvinqvagenalium decoloravit, Barbarorum feritas attrivit, hostium immanitas extenuavit, vorago prædonum absorpsit, humillime deprecantes audi, & dubio procul, exaudies. Cum flentibus flebis, & cum infirmis saluberrima pietate infirmaberis, non ad interitum, sed ad perennem in verbo virtutis tuæ salutem, ac divini nominis, tuique gloriam immortalem.

Hæ

Hæ sunt Beatissime Pater Leopolienſis rubræ Russiæ Metropolitana Eccleſia, atque Epiſcopatus Livonienſis, Piltinenſis, Kijovienſis, Camenecenſis, Smolenſcenſis, Luceorienſis, Premiſlienſis, Chelmenſis, omnes latinæ, Senatoriæ omnes, omnes ampliſſimæ, qvamvis Provinciæ Regnis pares, ac fertiliſſimæ, ipſæ non tam bellorum, qvam pacificationum iniquitate, verius autem Moſchorum ad ſacrum fœdus adjectione [quæ Polonorum eidem ſe immolantium pietas fuit] avulſæ ab illis non ita pridem fuerint.

Intende per DEum aures ſacratiſſimas in tot Rachelum olim pulcherrimarum voces, quæ in Roma flebiliter perſonant plorantium filios ſuos & nolentium conſolari, quia non ſunt. Illarum paſtoribus cura incumbit vaſtiſſimas etiamnum Diœceſes in hoſtium finibus ſitas perluſtrandi, Eccleſias a Turcis, Moſchis, Coſacis, Perduellibus, Schiſmaticis, Scythisque rapacibus incenſas, & dirutas, ac omni Sacra ſupellectili depilatas, reparandi, exornandi, captivos innumeros e Barbarorum mancipatu vendicandi, profugos, ac reduces ſinu charitatis exceptos, fovendi, enutriendi, Parochis denique famelicis, ſtrigoſis ac macie miſeranda tabentibus panem pro tenuitate frangendi, ſed unde panes ement B. Pater, pauperes hujuſmodi Eccleſiæ, pannoſique Præſules reditibus, ac omni prorſus dote ſponſarum, quæ pro dote calamitates numerant, emuncti, ſi modicum illud ſubſidii quod Seren. V. Regiſque noſtri Clementia dedit, ut ſibi ac fameſcentibus populis eſcam qualemcunque apponant, novo Romano Decreto dimidiabitur reſiduumque dimidium fere minus nihilo, illis ſolummodo relinqvetur?

Qvippe non aulicis otioſis, ut fama mendax oblatrat, at auribus incautis imponit, ſed Eccleſiarum huiusmodi deſignatis paſtoribus cautum eſt unico Abbatiarum commendatiarum fulcro ſummorum Pontificum, Regumque prorſus neceſſaria Providentia, ne ſub onere fatiſcant, ponduſque graviſſimum nimis imparibus humeris excutiant.

Hæ porro Abbatiæ, præter quartam partem qvam iuxta Sacros

cros Canones Monasteriis pendunt ad fabricæ sumptus, & alios usus, jam orbatæ sunt notabili portione redituum commendatariæ mensæ, qvam importuna voracitas, ac inexpleta voracitas prorsus intolerabili vexatione subinde ab Abbatibus extorsit, mensæqve Claustrali adjunxit, sine Pontificum Regumque scitu, atque consensu, qvam proinde Commendatariis mensis restituti fas est, si novum aliqvod illis onus imponatur.

At vero Sanct V, ac Sapientissimorum Cardinalium Præsulumque, quibus rem Abbatialem committi placuit, notitia dignum est, tres in nostra Polonia dari Monasteriorum mensas. Prima est Monachorum in communi triclinio victitantium, altera præpositorum sive Priorum qvibus immediatum regimen incumbit. Tertia Abbatum seu Commendatariorum seu titularium, qui a Regibus præsentantur, aut nominantur.

Prima & secunda lautæ sunt, ac pingves, ac proprio plerumque regurgitantis adipis pondere laborantes, ita ut Priorales, nedum Monachales mensæ ipsas Abbatiales vel superent, vel saltem exæqvent. Inter qvas Tinicenses Monachi septemdecim numero, qvadraginta pagos, & oppida sex, septenave possident. Cum tamen in Gallia, Italia, aliisque Regionibus duæ solæ sint mensæ, nempe Monachalis, & Abbatialis. Illa satis frugalis, qva Monachi, hæc longe lautior, qva Abbates seorsim utuntur.

Sapientissime divinoque consilio visum est summis Pontificibus, jam a sæculo Abbatias plurimas, quæ in titulum conferebantur a Regibus in Polonia in Commendas pro arbitratu convertere ad Regia postulata, ut Episcopis tenuioribus Ecclesiæ operam navantibus opportune subveniretur illæsa Monachorum Priorumque seu Præpositorum mensa, sed superflua, luxuique obnoxia, titularium esca ad necessarios Ecclesiæ usus, ac animarum regimen sanctissime applicata. Ecclesiarum vero huius modi tenuiorum Episcopi, Beatissime Pater, integris hactenus Commendarum reditibus pacifice ad hæc usque tempora potiti sunt, sciente, volente, jubente Sancta Sede, ut testantur Romanæ Datariæ Codices, excepta qvarta, ut supra innuimus, parte, fabricæ

bricæ ac aliis Monasterii usibus attributa & portionibus Monachorum inopportunitati ereptis. Quod si necdum attritis Ecclesiis, ac Episcoporum in deterius versis reditibus hactenus contigit, multo maior iisdem affulget spes & ratio nobilior, non minorandam Sanct V. decreto annonam, sive statum illud farinæ modicum ac Lecythum olei, qvod afflictissimis Ecclesiis superest, recenti hoc atrocissimo bello, Sanctæ Sedis hortatu impulsuque pie susceptο, ac scilicet post tot illata noviſſime a Turcis & Tartaris damna, fœdamque agrorum vastitatem residuum locustæ comedat Bruchus, pereantque per medium sectione Commendatariæ Abbatiæ, ut dilatentur phylacteria claustralium, qui Episcopis & S. Regni proceribus alligare onera importabilia contendunt. Absit Beatissime Pater, ut obtentu augendæ claustralis offae satis, imo plus justo inflatæ, nova hac scissione ruat mensa Commendataria. Illudque priscum dividatur, ac illud nec mihi nec tibi iniquissimum renovetur.

Profecto nec solum susque deque verterentur mensæ Commendatariæ, sed interirent & ipsæ Ecclesiæ Episcopales, quæ ubera Commendarum non ut olim distenta, sed livida & pene exsiccata, sugunt, ac sangvinem pro lacte exprimunt, si post recentis belli enormia damna, præter qvartam partem fabricæ assignatam, & subsidia militaria, insuper avelleretur alia qvarta pars, ut accresceret claustralis, hoc est, ut habenti detur, & non habenti sive Episcopali Ecclesiæ id quod vix habet, modicissimum tollatur ab ea.

Satius fortasse videbitur divino Sanct. V. judicio ad hoc, ut qui manducat, non manducantem non contemnat, efficere, ut mensæ Monachales ac Priorales hactenus pernitioso abusu divisæ, in unam coalescant, tunc enim justo pingvior oleret culina claustrorum, quæ cæteroquin in Polonia nostra præ aliis omnibus gentibus sapidissime tumat. Tunc sane liceret Monachis uno Spiritu, uno instituto famulantibus DEO, cui servire, regnare est, atque una eademque mensa dulces simul comedentibus panes, exclamare: ecce qvam bonum, & quam jucundum habitare fra-

re fratres in unum, iuxta mentem Sanctiſſimorum Patriarcharum, Regumque ac Procerum fundatorum, tum auctum ad ſatietatem obſonium ſuperfluereт ſicut ungventum, quod deſcendit in barbam Aaron.

Tunc reviviſceret heu nimis pallens, & fere emortua regularis diſciplina. Videret ſuperior in circuitu menſæ filios, fratres ſicut novellas novellarum, una foret omnibus timentibus Deum lætitia, una lautitia, una ſobrietas, unum jejunii meritum, nec eſurientibus carentibusque aliis inter aliorum commeſſationes compotationesque privatas, ſcandala graſſarentur ingenti non Acatholicorum modo, & puſillorum ſed piorum ac Sapientum ſæcularium ſcandalo atque dolore.

Tunc Beatiſſime Pater redigeretur ad Ordinem ſummo Manaſteriorum commodo, ac ædificatione faſtus clauſtralium ſuperiorum, qvi, ut nuperrime afferebant & Religioſiſſimæ Sacræ Majeſtatis Regiæ ad Pedes Sanctitatis V. expoſtulationes, exiguis rhedis, auro nitentibus, per fora & compita luxuriantur, qui armatorum corporis cuſtodum ſuperbo ſatellitio, equorumque phaleratorum pompa turgent, exclamante amariſſime melliſluo: non jam in hæc verba dicite clauſtrales, in frœno qvid facit aurum ? qvi denique canum venaticorum circumfuſi gregibus, uno verbo, qvi exqviſita epularum Bacchique Hungarici copia, luxu ac convivantium flexu cum ſæculi Principibus parum laudabili peiorum chariſmatum æmulatione, ſumma vero totius Regni indignatione, contendere non erubeſcunt.

Ex his optime novit Sanctitas Veſtra in cujus Sceptri apice divinus excubat oculus, an expediat clauſtralibus menſis addere fercula, & buccellam egentibus Epiſcopis Eccleſiisque ſubtrahere, qvam ſummi Pontifices hactenus appoſuere, juxta illud: diſperſit, dedit pauperibus. Sine illa ſteterunt hactenus, ſtantque vegetis vicibus impingvata clauſtralium corpora, clauſtraque plena ipſis, quæ religioſo, felicique otio dum ſibi vivunt, Deo duntaxat, arant, & occant ? ſine hac neque ſtetere neque ſtare in poſterum poterunt Epiſcopi Parochique exſangves, qui animarum

marum ſaluti & fidei propagationi, Sacramentis ac verbi divini prædicationi paſtoralem operam navant.

Hoc citra dubium eſt Beatiſſime Pater, qvod ſi novo decreto mutilabuntur Abbatiales menſæ, jam Sacris Miniſteriis inepti evadent prorſus inopes Epiſcopi. Proinde vel Eccleſiæ ſponſis orbatæ jacebunt recuſantibus ſine dote connubia dignioribus, ſed tenuis fortunæ procos, qvorum oneri ferendo impares ſeſe agnoſcent, vel Eccleſiis præfici Epiſcopos neceſſum erit, non qvos doctrina, integritas, Sapientia, ſobrietas, exemplaritas, pietaſque commendant, ſed qvos ambitus, opes aulicusque favor obtrudent.

Sed hoc præterea perpendendum occurrit, nempe Epiſcopos in noſtra Polonia curules Senatorios, prærogativa ſingulari ac in reliqvis Regnis invidenda, occupare, & Monarchæ ad clavum ſedenti tanqvam natos datos miniſtratorios ſpiritus in Sanctiori conſilio in Senatu, & in Comitiis ſuo jure adeſſe. Hinc ſummum Sacræ Hierarchiæ decus, ac fulgor, ſumma ſanctæ Sedis authoritas, ac Eccleſiaſticæ Jurisdictionis ſumma ſecuritas. Tot enim clypeos a Sancta Sede, & pro Sancta Sede pendentes oſtentat Polona pietas, qvot Præſules Senatorios Capitolio juratos, qvibus potiſſimum pro ratione ſtatus Religio eſt, qui ſeſe muros æneos pro Eccleſia Dei opponunt, devotæ pro Catholica fide morti animæ, mirataque ſimul & trabeata capita, ac purpurati pro Eccleſiaſtico jure Athletæ, fortiſſime luctari parati pro Sanctitate Veſtra; qvantumvis ſub Religioſiſſimo Rege, & in Regno nulli terrarum pietate ſecundo, nil tale contingere poſſit. Vtrum igitur e re Vaticana ſit, atque divina, ſacros hoſce Heroes enervare, vitalesque ex eorundem venis Spiritus emungere, ſine quibus neque ſtare, neque in agone ac arena Senatus ſeſe ſiſtere valeant, ut clauſtralium viribus jam per ſe validis incrementum illorum decremento addatur, facile quisque conjiciet.

Accedit Beatiſſime Pater, quod & ipſis Monachis longe optabiliſſimum eſt, vigere in Senatu atque Comitiis Eccleſiaſticos

Senatores, ad quos confugiant, ut quotidiana docent experimenta, ad Sacra tecta tuenda Monasteriorum bona tat ampla, illorum pagos & oppida juraque Ecclesiarum sæpe sæpius impetita. Licet enim Sanctissimis Reipubl Legibus, & Regum optimorum inconcussa Religione illis abunde consultum fuerit, attamen summum in Episcopis Senatoriis ad illorum tutelam inesse momentum inficiabitur nemo.

Nec vero solis pauperibus Episcopis Senatoriis vires suppeditant ad gerendas Ecclesias atque Rempub. Abbatiales Commendæ, sed etiam aliis Præsulibus ad præcipua munia tum Coronæ Poloniæ tum M D. Litvaniæ obeunda. Hoc enim speciale insuper habet ac singulare generosa nobilitas Sarmatica, ut Regni dignitates primarias ex æqvo cum Ecclesiasticis dividat, ne scilicet qvid habeat in imperio, Sacerdotium qvod desideret, aut qvid imperium, qvod invideat in Sacerdotio.

Sic unum idemque ius est prælatorum ac sæculo operantium ad Supremi Cancel. Procancellarii, Regentis Coronæ, ac Lith. Referendarii Supremique Secretarii dignitates, seu iisdem est exercitium idem. In ipsa pariter aula tum Sacræ Regiæ Majestatis, tum Seren. Reginæ, ac regiorum Principum non solum Sacris, sed & politicis muneribus vacant Ecclesiastici, positisque in illis tyrociniis abunde probati, ad sublimiora postmodum evehuntur. Et ne qvid fulgoris Sacro Ordini desit in amplissimo regno; ipsa etiam suprema tribunalia judiciaque Sacerdotes Præsides sibi præficiunt, quibus Astreæ Polonæ bilances & gladium fidentissime credunt. Adeo inter tot Præsulum trabeas, purpuras, fasces aliqvot Dominatus insignia in sola Polonia, Roma duplici iure leges dare, ac imperare dupliciter videatur.

Hi porro Præsules Beatissime Pater pars non postrema Sanctitatis Vestræ & imperii, quod DEUS eidem sine fide dedit, non aliis stipendiis Vaticano militant, quam reliqvis Abbatiis tenuiobus, qvas ut Rex Romanam liberet pro vadimonio fidem iisdem clementissime elargitur. Harum vero modicos reditus jam tot & tantis oneribus obnoxios transferre, vel ex parte ad clau-

clauſtrales, ſicut omnino novum foret, ac inauditum, ita perinde eſſet, ac dignitates has omnes Eccleſiaſtico-politicas, quas hactenus Regum ac Reipubl. pietas illibatas & integras voluit, ſummo Sanctæ Sedis detrimento abolere. Eaque propter ad pedes Sanctitatis V. provolutæ omnes cum univerſo Clero Polonico ac Senatoria & eqveſtri Nobilitate, quorum omnium res agitur, tantum a ſeſe, & ipſa Sancta Sede clementer averti infortunium, impenſiſſimis votis reverentiſſime flagitant.

Nunc vero titularium Abbatiarum in Commendas erectio, qvam cœleſti afflante Spiritu nuper decrevit Sanctitas Veſtra, ea conditione ut Clauſtrales Abbates, ſive ſuperiores eorumqve, a Monachis electio in libertatem vindicentur, gravis forte Monaſteriis videatur, & Regibus nimis favorabilis, ut jactitant, Sanctæ Sedi irreverentes pauculi turbatores, contra ſaniorem communioremque clauſtralium probatiſſimæ virtutis ſenſum, dignetur ſumma Sanctitatis Veſtræ æquitas rem exactiſſima ſua dextra librare, ut inde veritas Sapientiſſimo ſuo judicio omnibus eluceſcat, noverintque omnes perperam exigi a Clauſtralibus menſæ commendatariæ impendio atque ruina læſionis præſumptæ compenſationem. Qvid igitur Monachis hæc novarum Commendarum erectione detrahatur, quid addatur, jubeat reqvirere?

Imprimis non eſt nova hæc Commendarum erectio. Hanc potius firmat Sapientiſſimo ſuo decreto, quam inſtituit Sanctitas Veſtra; qvandoqvidem a ſæculo, ut dictum eſt, collatæ ſunt huc usque a ſummis Pontificibus, Rege pro tempore poſtulante, Abbatiæ fere omnes Epiſcopis atque Prælatis in Commendam, ut infallibili Romanæ datariæ, ac plusquam authentico teſtimonio nuper Sanct. V. iubente comprobatum eſt.

Nihil ergo eſt qvod tantopere clamitent, & qvidem minus reverenter Clauſtralium fautores contra Sanctitatis Veſtræ decretum; cum ſit Prædeceſſorum Sanctiſſimorum exemplo a novitatis umbra vendicatum, iuſtiſſimiſque ad univerſalis Eccleſiæ

bonum rationibus fulciatur, nisi forte in quantum ad omnes Abbatias nulla excepta extenditur.

Sed pro pauculis illis Abbatiis in titulum præsentari ac concedi solitis, qvarum vix una aut altera assignari potest, quæ aliqvando in Commendam concessa non fuerit, ut loqvuntur datariæ codices, qvæ pauculæ Abbatiæ vi novi decreti transibunt in Commendam, videre est, qvid emolumenti viciſſim acqvirant Monachi Paterna Sanctitatis Vestræ Regisque clementissimi indulgentia.

Nempe in fauorem Monachorum spoliantur omnes omnino Commendatarii iure, qvo hactenus potiti ac usi sunt, creandi seu nominandi, ac pro lubitu removendi subalternos sibi Priores, seu Præpositos Monasteriorum aliosque officiis domesticis Præfectos, illudque ius transfertur in Monachos, qvi libere sibi suos immediate claustrales Abbates seu superiores eligent sine ulla vel Regis vel Commendatarii præsentatione suffragioque, servatis tamen servandis, hoc est ut defuncto claustrali Abbate intimetur, ut par est, a Commendatario Capitulum, illique rite præsideat illæsa integra Monachorum eligendi libertate, ac petito decenter post electionem, & ante institutionem ac possessionem Regiæ Majestatis per Neo-electum assensu, unde constat, qvod pro pauculis titularibus Abbatiis, qvæ in Commendam vertuntur, omnes Commendatarii Abbates privantur iure tam æstimabili, qvo fruebantur, ominaque Monasteria in libertatem eligendi suos clauſtrales superiores vendicantur. Qvod lucrum qvanti ponderis sit, cuivis attente perpendenti perspicuum est.

Hinc etiam aboletur, Beatissime Pater, vetus consvetudo, qva Reges gaudebant, prisco iure, ac Sacræ Tridentinæ Synodi approbatione, Sæculares etiam personas præsentandi ad titulum mox habitum assumpturas, & posito tyrocinio professionem emissuras; adeoque Monachis accrescit decus & prærogativa, ut non nisi ex ipso gremio Monasteriorum illis præficiantur inposterum Superiores immediati, iisque libera illorum electione, & qvidem

qvidem probatioris in clauſtro virtutis, ac ad regimen immediatum aptioris, excluſis in perpetuum extraneis, ſæculum ſapientibus, qvos Patres anteqvam fratres agnoſcere ad Regium libitum tenebantur, ipſa Tridentina Synodo id approbante. Id etiam commodi & fructus auro æſtimabilioris accreſcit Monachis, qvod Commendatarii ſeu ſæculares Abbates, tum Oecumenico juri bonorum Monaſterii tum mores & diſciplinam regularem concernenti ſeſe in poſterum non immiſcebunt, ſola contenti prærogativa ac jurisdictione, quæ juxta ſacros Canones cæteris Commendatariis Abbatibus de iure competit, ſolaque Commendatoria menſa iisdem antiqua diviſione aſſignata gaudebunt, unde inter ſæculares iſtos regendis Eccleſiis ac Reip. addictos Prælatos, & regulares illos Deo, ſibi, Monaſteriisque vacantes, chaos magnum inpoſterum intercedet.

Ex quibus conficitur gratam jure merito eſſe debere diſciplinæ Scholaſticæ zelotipis & bonis novam hanc tanto Religionis fœnore aliqvot titularium in Commendatarias Abbatias converſionem, atque ideo mirum videri, qvod a Monaſteriis compenſatio aliqva exigatur, qvaſi ex læſione, cum potius illis plurimum accedat emolumenti, a Rege vero nominandis Abbatibus plurimum decedat auctoritatis, unde his potius compenſatio deberetur.

Sane agnoſcit, Beatiſſime Patre, Rex noſter Clementiſſimus beneficium ingens Paternæ Sanct. Veſtræ manu acceptum, qvod diuturno vexatum maleficio animum ſacro fœderi intentum tandem aliquando liberet, ac irreqvietæ improbitatis laqveum clementiſſime conterat, poſt tot ſumptuoſiſſimas Principum Radziwili, Cardinalis Radziejowiki, Epiſcopi Præmislienſis Reverendarii Regni expeditiones, noviſſime vero Religioſi viri Theologi, Regni ac fidelis cordis ſui interpretis Sanctæque Sedi addictiſſimi, & rerum Polonicarum apprime periti.

Sed & agnoſcere debent Monachi Regis manſvetiſſimi, Religioſiſſimi, clementiam, quæ ut Sanct. V. filiali ſemper cultu obſequatur neglectis jurium apicibus, qvibus reliqvi Reges ac

gentes

gentes insistunt, Monasteriis omnibus liberam superiorum immediatorum electionem, quæ hactenus ab Abbatibus a sua Majestate nominatis dependebat, cum plena disciplinæ Religiosæ ac independenti cura indulget; insuperque condonat magnanima pietate, qvidqvid illaudabili ansu, ultra limites iustæ defensionis, quam Rex justissimus ultro concedit, contra intaminatos, qvibus fulget, honores, tentatum est in curia Romana ab iis, per quos scandalum venit, qvi os posuerunt in cœlum, eoque devenerunt, ut tangerent Christum Domini, illumque calumniis onerarent, qvasi chimericum jus patronatus sibi violenter vendicaret, possessionemque nullam præsentandi ac nominandi haberet, cum tamen evidentissimis rationibus tum fundationis tum dotationis Monasteriorum omnium claro & ineluctabili Codicum authenticorum testimonio nitantur patronatus Regii jura a majoribus ad ipsum transmissa, possessionem vero singulas ac omnes Abbatias nominandi aut præsentandi datariæ Romanæ Regestras Pontificum summorum serie, annulique piscatorii tessera coram Sapientissimis Ecclesiæ Romanæ purpuratis ac prælatis in Europæ universæ theatro probant.

Condonat inquam Rex æque magnanimus & mitis in subditos, ac in Dei hostes ferox, Rex generose pius, seseque major & super omnem injuriam situs, quidquid hactenus contra Maiestatem æque ac veritatem peccatum ab illis est, modo tamen resipiscant, nec malint in Lachrymis metere discordias, qvas tandiu sine pretio ac sordida mercede in Sacro Sancto hoc Romano agro impune serebant.

Verum non ita facilem a Sanct. V. sacra themide merebitur, ut opinamur, veniam inimicus ille, qvi non solum Regis sui Patriæque oblitus, sed debitæ Sanct. V. reverentiæ, post diu seminata zizania, quæ jam novi decreti surculo eradicantur, ausus est ad eiusdem farinæ homines consortes consiliorum ac complices, qvos habet in nostra Polonia non paucos, nimis audaci calamo scribere, ac etiam per compita officinasque Romanas, ut intelleximus, ore vel suo vel suorum iactitare sapientissimum

Sanct,

Sanct. V. proiectum Regi per Illustr. Nuntium significatum de erigendis in commendam Abbatiis & de jure patronatus Regio servando, nullum prorsum effectum sortiturum, utpote nimis gratiosum Regi, ac ( horret animus ) prorsus injustum.

DEUS immortalis! itane impune abutitur clementia Sanct. V. Regisque qvos eiurasse videtur privatus homuncio? agnoscit iterum clementiam gratiamque Sanct. V. manu acceptam Sereniſſimus Rex noster, sed qvid iniusti criminatur, qvid blaterat ille in commendas, qvæ iam ab aliis Pontificibus longa annorum serie in Polonia institutæ Sapienter ac iustissime sunt ad pauperum Episcoporum, Præsulumque levamen? quasi vero in Gallia, Italia, aliisque regionibus eædem, ac forte minori de causa, avulsæ summorum Pontificum, qvorum est Sacra bona ovibus commissis Pastoris æterni exemplo ac jure vicario distribuere, non fuerint a Regularibus Abbatiæ sæcularibusque Prælatis addictæ.

Gratiosissimam agnoscit S. Majestas dexteræ paternæ beneficentiam intuendo eiusdem jura patronatus, sed illud servavere Prædecessores Vestræ Sanct. Pontifices Regi Michaeli, Joanni Casimiro, Vladislao, Sigismundis I. II. III. Stephano aliisque. Qvid ergo injusti patrat Romana Sedes? si illud servat Joanni Servatori Christianitatis? servavit Dataria vetus, atque moderna, ut testantur ejusdem innegabiles Codices, sæpe allegati, qvibus constat Regibus antiqvis, atqve moderno nominantibus, cum mentione juris patronatus collatas fuisse Abbatias omnes Polonicas. Qvid ergo iniqvi comminisci potest in hoc facto, iniqvitas nisi mentiatur & sibi? Servavit Concilium Tridentinum sola in Imperatore, Regibus Supremisque Principibus possessione contentum; qvid ergo Sacrilege improbare audebit in Sanct. V. decreta vel ipsa improbitas.

Gratiam etiam agnoscunt Sanct. Vestræ Ecclesiæ omnes Polonicæ depauperatæ atque langventes, sed iustam, ac iuxta Sapientiæ normam non iniqvam Monachis nec cæca manu collatam. In illa siquidem misericordia & veritas obviaverunt sibi,

iustitia & pax osculatæ sunt. Concessit qvippe Roma, qvod habebant Ecclesiæ inopes Polonæ, & qvod Rex jure ac consvetudine avita maiorum, dare illis poterat, & dabat, at Rex in obsequium Romæ de novo dedit Monachis liberam electionem superiorum, qvam non habebant.

Justus ergo es Sanct. Pater simul & misericors & rectum judicium tuum pauperibus dedisti, & justitia tua manebit in sæculum, pietas & prudentia tua supergressa est universas ætates. Viderunt eam filiæ Sion, hoc est Ecclesiæ tuæ Polenicæ, & laudaverunt eam, sed & laudabunt eam & benedicent nomini Sancto tuo Poloni Proceres ad infulas destinati, laudabunt comitia ad jura coronæ tuenda vel ipso sangvine, ut profitentur, unanimi consensu jurata: Laudabit Eminentissimus Archiepiscopus Regni cum Episcopis omnibus fraterna charitate, qva in prædictarum Ecclesiarum inopia langventium Episcopos, ac alios regni Præsules, filialique obseqvio erga sanctam Sedem feruntur; laudabunt ipsissimi Monachi, qvotqvot libera electionis, ac disciplinæ Religiosæ, quæ hoc decreto sancitur, studiosi sunt. Nec minus laudabunt cæteræ gentes, Reges, & Regna suspicionem exuentia jacturæ iuris patronatuum suorum audito Sanct. V. benigno, gratioso, iustoque erga Regnum gentemque Polonam, Regemque optimum in suo iure ac possessione manutenendum consilio.

Laudabunt Sanctitatis Vestræ institutum, imo pleno jam ore laudaverunt concinnentibus reliqvis Europæ Doctoribus ipsi juris utriusque periti Romani, primæ notæ, qui perpensa ex datariæ Codicibus Regum possessione, immemorabili ad omnes & singulas sui Regni Abbatias nominandi, libratisque ex Classicorum, antiqvorumque integræ fidei historicorum, qvi Romæ extant testimoniis fundationum, ac erectionum cuiuslibet Abbatiæ Polonicæ. Consideratis etiam tot summorum Pontificum placitis, qui serie continuata ac non interrupta usque ad motam novissime ab uno duntaxat, deinde ab omnibus seu dato classico Monasteriis controversiam, nomen Sanctissimum dedere, sacrumque

que annulum appoſuere præſentationibus ſeu nominationibus Regiis, etiam glorioſe regnantis Joannis III. ſatis mirari non poſſunt potuiſſe flabellum diſcordiarum tamdiu, & tam impune Regiam patientiam laceſſere, auſosque fuiſſe tam aperte ſacræ Rotæ, imo ſacræ congregationi Conſiſtoriali inſidiari Monachorum Procuratores, contra Regem, illumque inauditum, & contra Coronæ iura figmentis & falſis allegationibus, ut liqvido conſtat in reſponſo luculento, contra impreſſum typis Romanis codicem Monachorum exhibito.

Laudaverunt inqvam Juris periti Romani Divini honoris, glorieque Pontificiæ ſtudioſiſſimi, quæ in ſuo cuique reddendo ſervandoque conſiſtit, clareque ſunt faſſi tales eſſe rationes Regias, ac ita evidentem Regis poſſeſſionem, ut ipſi etiam nobili, aut civi, ac ſubdito privato ad evincendum ab æquitate Sanctitatis Suæ ius patronatus ſufficerent, velleque in perſpicua veritate rationes aliqvas qværere, idem eſſe, ut ait Tertullianus, ac velle neſcire.

Frigidas vero ac futiles potiſſimum illas eſſe Monachorum reſponſiones, & vera effugia, quibus unice nituntur, aiuntque Synodos olim ſupplicaſſe Regibus pro libera Electione, Reges eandem ſuis diplomatibus indulſiſſe: Poſſeſſionem Regum eſſe, ac fuiſſe cum reſiſtentia iuris, Monachos huic poſſeſſioni reclamare, bona Monachis fundatorum pietate collata, ad exteros ac Sæculares transferri nequire, vel Principum aliorumque præſentationi ſubiacere, Bullis denique Pontificiis pro collatione Abbatiarum ad nominationes Regum appoſitum fuiſſe, ut aſſeritur, ad mentionem iuris patronatus, atqve mentionem expreſſam, impoſitam fuiſſe Executoribus Bullarum, ut illis conſtet de iure patronatus. Quæ iacula Beatiſſime Pater, ſicut Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ illorum, ita facillime in ipſos contorqventes retorqventur.

Nam ſi Synodi Regibus ſupplicaverunt olim pro libertate Electionis, ergo fatentur Synodi non fuiſſe libertatem Monachis eligendi; deinde ſupplicatio illa nihil iuris Monachis acqvirere

potuit, vel addere. Præterea & tunc nullum effectum habuit illa ſupplicatio, & nunc omnino oppoſiti ſunt ſenſus Epiſcoporum omnium præſertim pauperum, qvi & ſupplicant Sanctitati Veſtræ, ut relinqvat Majeſtati Regiæ ius illæſum nominandi, & illis Commendarum ſeu menſarum Abbatialium annonam minime dimidiatam velit, qua victitant Epiſcopales reditibus ſuis ſpolitæ Eccleſiæ, ac coronæ, ac ſanctæ Sedi famulantes Prælati, ſintque qvarta parte contenti Monachi, fabricæ aliisque Monaſterii uſibus iuxta Canones applicata.

Reges vero non aliam libertatem eligendi Monachis indulſerunt, quam quæ iuribus præſentandi congruebat. Hoc eſt præſentatum a Regibus eligendi, ſi non inidoneus eſſet. Sane ipſos Reges, qvi libertates ac privilegia Monachorum, ut moris eſt, ipſiſſimos inqvam Reges, ac regnantem Glorioſe Joannem III. ſuum ius præſentandi a Capitulo eligendum conſtantiſſime exercuiſſe. Unde evidenter conficitur Reges non indulſiſſe libertatem Monachis eligendi præſentatos a Regibus; ſi idonei, vel non idonei forent, qvod perpetua, ac invariabili praxi ſervatum eſt.

Præterea poſſeſſio Regia non fuit cum reſiſtentia iuris, qvandoqvidem ſummorum ac Sanctiſſimorum Pontificum bullis Regiæ nominationes firmatæ ſunt, ut patet ex datariæ condicibus. Aſſerere autem plurimos Pontifices ac inter illos Beatum Pium V. contra iuris & æqui reſiſtentiam, nominationes Regias piſcatorio annulo comprobaſſe, ac Sapientiſſimos Datarios, ac Subdatarios iuris Monachalis oppoſitiones per ſæculum ignoraſſe, nimis abſurdum eſt, præterquam quod ius merito praeſumitur in favorem Regum potius, qvam Monachorum in Polonia, illudque longe anterius iure Monachali, cum fateantur ipſi Monachi bona omnia Monachalia ex Regalibus ac Reip. bonis Regum fundatione, aut conſenſu decerpta fuiſſe, adeo eorundem juribus obnoxia eſſe. Sed qvantumvis jus aliqvod praeſumerent Monachi contra jus Regum, a qvibus bona acceperunt, ſervato tamen ſemper Regibus patronatu, ut praxis docuit; illud ſane Monachorum

chorum ius, ſuperiori Pontificum juri abſolutiſſimo cedit, qvo Abbatiæ in Commendam erigi poſſunt, ac paſſim erectæ ſunt.

Nec ſufficit Monachos reclamare nunc nominationibus ſeu præſentationibus Regiis: nam aerem verberant contra antiquum Regum ac fundatorum jus, tam diuturna poſſeſſione firmatum, ingrate jam liberaliſſimos Benefactores, a quibus ſeu qvorum conſenſu Regalia bona ſeu coronæ obnoxia habuerunt, clamitando. deinde cur ſæculo integro tacuerunt, abſtinueruntque a reclamando, niſi quia verecundo ſilentio Regum iura ſunt faſſi. Præterea qvid illis bonorum adimit Regium patronatus ius, qvo neque illis ſtipula minuitur; denique ut qvia contra ſtimulum calcitrant, reclamando contra Pontifices ſupremos, ac datariæ praxin, Nominationes Regias bullis Romanis firmantium, Sanctæque Sedis authoritatem Abbatias juſta de cauſa in commendam erigentis pro pauperibus Eccleſiis, Monachalis electionis inducta libertate, reſtituta diſciplina Religioſa, menſaque ſat pingvi clauſtralium omnino illæſa ac ſolum ſuperfluis titularibus menſis translatis, non ad quoſcunque exteros, ſed ad Epiſcopos ac Prælatos Eccleſiæ Dei, ac animarum ſaluti, Regnique ac Reipub. miniſteriis incumbentes, ſacra eſca ſuſtentandos, ut par eſt.

Minus denique obſtat ac efficit adiectio illa verborum, ut aſſeritur, in Bullis Pontificiis ad iuris patronatus Regii mentionem. Nam illa verba nihil addunt vel minuunt iuri patronatus. Præterea illa verba non omnibus Bullis adjecta ſunt, ſed aliqvibus tantum. Poſtremo illa verborum adiectio facta eſt recenter ad arbitrium Datariæ ſeu Cancellariæ, præter uſum & praxim antiquam. Neque debet aut poteſt iuri antiquo tertii cuius conſenſu aut ſcitu non ſunt adiecta, præiudicium ullum inferre. Qvodſi nullum præiudicium inferunt, adjiciantur, ſi placet Datariæ ac Cancellariæ, modo nominatis Regiis cum mentione ſolita juris patronatus Regii, conferantur ſolita Sanctiſſimi benignitate Abbatiæ, ut hactenus factum eſt. Qvod autem dici-

tur de conditione appoſita Bullis Pontificiis, aut Executoribus ſi conſtet de iure patronatus, mirifice favet iuri Regis illudque confirmat. Nam illis Executoribus abunde conſtitit de regio jure, qvandoquidem Bullas Pontificias executioni mandarunt Nuntii Apoſtolici, & alii, qvibus fuerat executio hactenus demandata.

Reſtat Beatiſſime Pater, ut opus manuum tuarum, qvod deſurſum fluit, aſpirante Paracleto perfectum ſit, tuo eiusdem innocentiſſimo Numine dataque tandem Polonis obſequentiſſimis dextera, concordiam poſt tot diſſidia revehas, comitiis pro bello ſancto deſudantibus in extremorum cardine, diſcrimineque conſtitutis anſam ab inſtituto Sanctiſſimo recedendi amoveas, ſive iura patronatus Regia, pro qvibus extrema omnia experturos ſeſe jurarunt unanimes Palatinatus, ſarta tecta pro ſuprema tua clementia ac æquitate, perquam efficaciter tuearis.

Id ſpectat Reſpub. Ottomanico hoc bello, qvod pro Chriſti fide, & Sancta Sede, conſtantiſſime totius regni excidio gerit, id ſibi pollicetur Rex invictiſſimus quinquagenalibus in Martis arena triumphans laboribus, atque victoriis inclytus, profuſis hæreditariis pro Sacro fœdere theſauris, & DEO immolatis fratribus germanis, avunculis, avoque Barbarorum framea obtruncatis. Id ſpondet breve illud Apoſtolicum, quo nuper exqviſitis paternæ teneritudinis ſignificationibus præciſe fidem Pontificiam Regi, & filio optime merito obligavit Sanctitas ſua, plene in re Abbatiali ſatisfactum iri deſideriis Regis optime meriti.

Qvod autem ſatisfaciendi genus hoc eſſet, Beatiſſime Pater, ſi præter Sanctiſſimam Veſtram mentem mutilarentur ad extremam deformitatem Abbatiæ, ſpecieque iuris patronatus ſervandi ac commendas erigendi, ſolum fere nomen Patroni, jure deformiter mutilato, relinqueretur Regi, & nudum ac pene jejunum nomen Commendatariorum, Commendis extenuatis, relinqueretur pauperibus Epiſcopis, atque Prælatis, ab illo nominatis. Cum tamen e converſo Rex liberam Monachis in obſe-

qvium

quium S. V. electionem clauſtralium, & Abbates Commendatarii Regimen clauſtralibus Abbatibus Monaſteriorum ſincere relinqvant, ita ut longe optabilius Regi & Abbatibus foret, ſi res æqvis lancibus librentur, antiqua nominandi in titulum & in Commendam poſſeſſione frui.

In verbo Sanct. Veſtræ, quod non præteribit, licet cœlum & terra tranſirent, fidit magnanimus Rex, in illo laxavit rete, ſcivit cui credidit, nefas arbitratus dubitare de ſolamine ac ſatisfactione, qvam Breve nuperum diſſertiſſime pollicebatur.

Id ipſa ſpondebant vivæ vocis oracula, a Sanctitate Veſtra ſæpiſſime probata ac confirmata, nempe omnino velle Sanct. Veſtram ut non minor ratio habeatur in iuribus patronatus Regis optime de Eccleſia meriti Joannis III. quam habita fuerit Ioannis Caſimiri, qvo regnante Nuntii Apoſtolici munus glorioſiſſime gerebat S. V. modo id authenticis datariæ Romanæ teſtimoniis probaretur. Qvod abunde per Illuſt. Dominum ſubdatarium probatum eſt, ante aliqvot menſes iuſſu Sanctitatis Veſtræ, ut intelleximus collatis fideliſſime cum codicibus datariæ nominationibus ab eodem Rege Caſimiro factis, imo etiam a Vladislao & aliis Regibus ad omnes Abbatias Regni cum mentione iuris patronatus, & qvidem effectu ſecuto, præcipue vero ad Præmetenſem, Cervinenſem, Mogilnenſem, de quibus nunc agitur. Clare etiam conſtitit ex authenticis teſtimoniis Monaſterii S. Crucis continuata ſerie nunqvam intermiſſa qvingentorum annorum a Regibus ſemper fuiſſe collatam.

Hac infallibili fide nixus optimus Rex Palatinatus omnes in certam ſpem rei ex voto Reip. componendæ erexit. Hac ſpe fretus Nuncios terreſtres ad generalia Comitia miſſos cum aſperioribus mandatis placavit, atque prohibuit, ne primo Comitiorum exordio rem Abbatialem aggrederentur, qvod lugendo prorſus Eccleſiaſticæ Monaſticæque rei damno contigiſſet. Unde minime dubitant Palatinatus, quin Abbates, Præmetenſis, Cervinenſis & S. Crucis Viri eximiæ virtutis, ac meritorum, nobiliſſimique debeant in ſuarum Abbatiarum poſſeſſione ſervari,

in qua

in qva de facto ſunt, in Regiæ ac conſvetæ nominationis, poſt legitimam Capitulorum electionem, ac Epiſcopi Ordinationem, impoſito adverſariis ſilentio, qvi contra ius & fas ſe intrudere tentant, falſisque narratis, atque calumniis Sacræ Congregationi Conſiſtoriali, ac Sacræ Rotæ Romanæ imponere auſi ſunt, qvod nullum Regi ac Reipub. juribus præiudicium inferre debet ac poteſt.

Nominatus etiam ad Mogilnicenſem Abbatiam, poſt tam diuturnam ſine ulla prorſus ratione vexationem, tandem promoveri ſperat. Epiſcopus denique nominatus Luceorienſis in pacifica ſuæ Abbatiæ poſſeſſione relinqui, ac ab iniquiſſima Monachorum perſecutione vindicari contendit, quam ab illis pati ſolum recentiſſime cœpit, poſtquam inhiare cœperunt Monachi eiusdem Abbatiæ, enormes calumnias in illum effingendo, virum teſtimonio univerſæ Poloniæ integerrimum, ac vere Eccleſiaſticum, falſitatis evidentiſſimæ convicti.

Indubitatum igitur eſſe videtur Clementiſſimo Sanct. Veſt. mandato, diſcordiarum fomitem quam citiſſime extingveudum iure ſuo Regi, menſisque ſuis Abbatibus Commendatariis, atque clauſtralibus, Monachisque paterne ſervatis, ne peſſima contingant ab irata & exulterata nobilitate, militiaque Monachorum bonis pridem inhiante : id vovent Epiſcopi, Prælati Cleruſque univerſus, ſpeciatim vero pauperrimæ Epiſcopales Eccleſiæ, qvæ cum toto Sarmatico Clero gemitibus inenarrabilibus orant pro Sanct. V. ad diuturnum ac feliciſsimum Chriſtiani Orbis Regimen incolumitate. Quam DEUS &c.

§. XV.

Non poſſum non qvin præter hæc aliud Documentum a Zaluski accipiam mutuo, quod ſub auſpiciis Joannis III. nomine Reipublicæ Romam eſt miſſum. Legitur quidem in margine annus 1699. verum non eſt, ut lector ex addito anno dubia moveat. Nam Zaluski qvidem hoc anno ad Alexandrum Sallarolli, Regis AUGUSTI II. legatum Romæ degentem omnia perferri curavit, ſed lectio eſt teſtis, qvod Joanne III, vivo, qui An. 1696. mor-

mortuus, & forte An. 1685. ad Pont. Max notitiam pervenerit hoc scriptum. Huius vero erat tenoris:

# MEMORIALE

## *Ad Pontificem cum Supplicatione pro Commendandis* XV. ABBATIIS.

*AB illo tempore a quo Dominus Deus concessit Poloniæ donum fidei, semper hoc Regnum antemurale erat estque Christianitatis. Etsi Reges Poloniæ, acerrimi legis Christi defensores meruerunt amorem & Sanctæ Sedis æstimationem; tamen certum est quod regnans nunc* Joannes III. *cujus dextram Divina misericordia dignata est adhibere ad liberationem Viennæ, & per id Christianitatis totius ab Ottomannico jugo, quod illi impendebat, meretur super omnes paternum affectum Vicarii Christi, ut eum respectum erga liberatorem habeat, qui proprius est Pastoris videntis liberatum suum gregem a tam evidenti periculo. Et vel ideo magis, quod Majestas Sua etiam postea continuavit, non tantum exponendo proprium sanguinem & proprii filii, sed & indicibiles labores & pœnas supportando, inter deserta, inter tempestates mille expositas periculis, & infinitos sumptus, faciendo diversiones tam necessarias ad facilitandas oppugnationes & progressus Sanctæ colligationis, opponendo se in persona, cum suo primogenito, infinito numero Exercitus Turcici, Tartarici, Vallachici, Moldavici, relicta & casibus exposita Regina conjuge, filiis & tota domo Regia; & est certum quod hoc ipsum retinere eum potuit ad exponendam personam suam tam manifestis periculis, sed non retinuit; idque hoc non alio fine, nisi ut palam faceret suum Zelum, sequendo Sanctos nutus Vestræ Sanctitatis, & satisfaciendo piissimis eius intentionibus.*

*Accessit adhuc, quod ad eundem affectum consumpti sunt cum irreparabili ruina Reipub. tres Exercitus, & prima regni nobilitas cum extinctione antiquarum familiarum. Oblita enim Resp. [exemplo Regis excitata paterna & pastorali Sanctitatis Vestræ voce] omnium damnorum per 40. annos continui belli contra infideles, Hæreticos, Schismaticos Septentrionis & Orientis ad extremam & universalem penuriam & paupertatem est redacta.*

*Et tamen tantum abest, ut a tantis & tam dignis operationibus aliquod pro Polonia commodum & utilitas, ut vel unicus terræ palmus Regno accesserit, cum tota applicatio illorum resultaverit in favorem progressuum colligatorum, sine qua indefessa Regis applicatione notum est toti mundo, quod tam felices non successissent eventus.*

*Sicut e contrario manutenendo & magis corroborando Sanctam colligationem debuit cedere, sicut etiam notum est, vastissima dominia, quæ præteritis temporibus, realiter similia formarunt Regna.*

*Unde Majestas Sua sciens, quod aliis Monarchis amplissimi concessi sunt favores ad nominandos Episcopos, in Monasteriis Abbates, & dignitates principales in vastissimis Imperiis & Regnis non ex alia ratione, non ex alio motivo, nisi ex meritis erga Sanctam Sedem Apostolicam, exeitata firma fide quod singulare obsequium Sanctae Sedi profitetur, humillime repræsentat Sanctitati Vestræ a paucis annis motam fuisse controversiam a Monachis Cistercienſibus, Benedictinis, Præmonſtratenſibus & Canonicis Regularibus circa jus patronatus Regium ad Ecclesias Abbatiales Regni Poloniæ. Et quantumvis Majestas Sua nihil aliud fecerit, nisi vestigiis Regum suorum Prædecessorum insistendo, qui possessionem continuarunt a tantis sæculis, tanquam fundationibus constat a testimonio omnium Historicorum scilicet Dlugossii, Cromeri, Miechovitæ, Bilscii, Lubinski, Damalewicz, qui Historiam Polonam, & vitas Episcoporum scripserunt.*

*Et qvamvis nonnullæ fundationes Monasteriorum dicantur factæ a Ducibus & particularibus ex nobilitate personis, & etiam Episcopis, tamen est modus simplex loquendi, quia in effectu omnes fundationes intelliguntur factae ab ipso Rege, sicuti directo Domino & hærede totius Regni, quia, sicuti omnia bona Regni Poloniæ dependebant a Rege, ite nemo poterat immutare naturam bonorum, super quæ reservatum fuit Regi directum dominium. Et hoc probatur, qvia Monasteria, quæ non habent particularem a Rege exemptionem, sunt usque in hanc horam obligata, non tantum ad unam certam annuam resognitionem, sed etiam obstricta sunt ad certam servitutem mere laicalem, ut scilicet faciant certas operas rusticas & mechanicas pro servitio Majestatis Suæ, ita ut clare inde concludatur, Reges fuisse semper Dominos fundi, & propterea omnes fundationes esse*

Regias,

Regias tanquam primarii fundatoris, sicuti ad hoc tempus tanquam tales cognoscuntur.

Hæc reflexio juncta assertioni supradictorum Historicorum relinquendo & in partem removendo alias probationes, quæ requirentur in omni vigore per viam justitiæ, quæ sunt difficultates propter revolutiones Regni Poloniæ, & devastationes in tempore belli Svetici, sub quo non tantum archiva sed omnia perierunt documenta : Videtur sufficiens motivum ad inclinandam Sanctam mentem beatitudinis vestræ, ut finiat hanc controversiam privilegio Apostolico, in virtute cujus Regia Majestas & Reges Poloniæ sui Successores possint nominare personas bene visas & quæ meruerunt de Religione Sancta & de Republ. ad certum numerum Abbatiarum Regni Poloniæ, offerendo se & promittendo cedere suis prætensionibus ad reliqua monasteria dictarum Religionum, uti inferius patebit.

Et ad obtinendam favorabilem resolutionem præter instantissimas preces Regis præsentatur adhuc Sanct. Vest. altera motiva, quæ animum suum paternum inducere ad indulgendum, quod petimus, queant.

Et inprimis repræsentamus necessitatem ad obviandum turbulentiis & motibus, quæ in proximis Comitiis nasci possunt ob rationem indiscreti modi, quo procedunt Monachi, qvi indies magis exacerbant legem & Rempubl. repræsentando Sanctitati V. multas res uno modo & Regi explicant altero ; Et postea operando diversimode cum parvo respectu Majestatis, cum interpretatione legum & constitutionum Regni sinistre & differenter ab eo, quod in se continent, & sicuti illas Respublica explicare solet, cujus est condere, quæ illas fecit, unde occasio datur ad excitandos turbines & motus ad disuniendos animos, quod servire potest hæreticis, Schismaticis & aliis, ad obtinendos alios fines majoris consequentiæ.

Alterum est quod repræsentatur, quod scilicet Episcopi, & officiales Regni Poloniæ, inferius expressi fuerunt a primæva sua institutione, & sunt usque huc basis Religionis Catholicæ, quia illis & particularibus illorum officiis impositum est debitum, ut invigilent conservationi puritatis fidei, observantiæ bonarum legum, & bonorum morum, defensioni immunitatis Ecclesiasticæ, & ne pauperes opprimantur : ita, ut ab illorum veniat vigilantia, ne introducantur novitates & nascantur inconvenientia.

Tertio. Revocatur in memoriam Sanctitatis Vestræ miserabilis status

*Cleri Polonici, & tenues reditus Archiepiſcopatus Leopolienſis, Epiſcopatuum Luceorienſis, Præmislienſis, Chelmenſis, Kijovienſis, Camenecenſis, & Livoniæ, pro ſuplemento qvorum non eſt aliud medium, niſi aſſiſtendo provisis cum Abbatiis, ut poſſint manutenere decorem & dignitatem Epiſcopalem, cui Senatoria etiam prærogativa eſt conjuncta.*

*Qvarto. Officia Cancellarii aut Vice-Cancellarii & Secretarii majoris & Referendarii Regni, Notarii Theſauri Cancellariæ Reginales, duorum Cancellariæ Regentum manet qvaſi ſemper in manibus perſonarum Eccleſiaſticarum, quales non poſſunt dignitates ſuas manutenere ſine Abbatiis, uti exempla monſtrant & præteritorum & modernorum temporum.*

*Quinto. Et hæc omnia propterea, quia in Regno Poloniæ pauciſſima ſunt beneficia ſimplicia ſine reſidentia ad Eccleſias, quæ cum ſint tenuia, & in magna parte gravata obligationibus, majoribus etiam, quam ipſi fructus, aliquæ ex illis poſſidentur a pauperibus Sacerdotibus, & multæ vacant, & paucæ ſunt dignitates in tribus aut quatuor Cathedralibus, qua mille quingenta Romana ſcuta reditus annui faciant, ſed ultra, quod hæ beneficia requirant reſidentiam, & quod non ſemper vacent, dum opus eſſet, quod non omnes ſint juris patronatus Regii, & ita Rex non poteſt dare, & providere ex illis pauperioribus Epiſcopis & regni Officialibus.*

*Omnes hæ neceſſitates Cleri ſæcularis Poloniæ palam faciunt Sanctitati Veſtræ juſtum recurſum ad gratiam ſuam, qvam Rex facit, & numerus ille Abbatiarum, pro quo ſua Majeſtas deſiderat privilegium Apoſtolicum, concedere dignerur in commendam, quia aliter non poteſt provideri neceſſitatibus dictorum Epiſcoporum & Officialium Eccleſiaſticorum regni, nec eſſet utile ipſis Monaſteriis obligare nominandos a Rege ad habitum & vitam regularem, quia illi non poſſunt eſſe boni Magiſtri, qvi nunquam fuerunt diſcipuli. Et eo magis daretur occaſio nonnullis ad faciendam paupertatis profeſſionem cum animo acqvirendarum divitiarum, & amplectendi vocationem, ad qualem non ſunt vocati a Deo.*

*Commendæ Beatiſſime Pater, ex ſe ipſis non ſunt illicitæ, quoniam conceſſæ ſunt a Pontificibus, & poſſeſſæ ab hominibus Sanctis, imo apparet, quod hodie ſint neceſſariæ Eccleſiæ Dei ad facienda multa opera pia, &*

& in specie ad contribuendum novis Fundationibus ferventiorum Religionum & congregationum, quas quotidie providentia divina producit in recompensam abolitarum & frigescentium, cum ordinarie non sufficiunt alii reditus Ecclesiastici ad faciendas illas, sine adjumento a primis. Nec possunt vituperari Commendæ, quia illarum fructus non sunt bene dispositi ab omnibus, qui illas possident, cum illud sit tam accidentale Commendis, quam aliis bonis Ecclesiasticis, qvando sunt male ministrata, quæ tamen quotidie & continuo diversis distribuuntur, cum illis cautelis quæ sunt necessariæ.

Summi Pontifices concedere possunt Commendas, & ab ævo semper concedebant, cum eorum potestas non se minus extendat ad Monasteria, qvam ad Episcopatus, quorum sæpius univerunt duos in simul, quandoque diviserunt unum in duos; quo pertinent omnes illæ mutationes factæ, ab illorum suprema authoritate in erigendis Abbatiis in Episcopatus, applicandis iisdem ad pias diversas fundationes, introducendis Canonicis Regularibus in locum sæcularium & e converso in minuendis reditibus, imponendo pensiones, & multas alias res similes, cum quibus exercent potestatem supra omnia genera beneficiorum Ecclesiasticorum.

Prædecessores Sanctitatis Vestræ supersunt aliqvas Religiones sæcularisando, etiam bona cultui divino dedicata, & crediderunt se id juste, & cum potestate facere posse; & quandoque etiam facere debere.

Per Commendas etiam in perpetuum detrabitur tantum una pars bonorum Monasteriis, quales pertinent semper ad Ecclesiam, & retinent obligationem, ut impendantur pro pauperibus & operibus piis.

Nec fit quidquam contra intentionem eorum, qui fundaverunt Abbatias, quia aut respicitur illorum intentio generalis, glorificandi Deum ex suis bonis, & hoc semper observatur, qvoties dictæ facultates seu bona retinent naturam bonorum divino cultui dicatorum. Aut consideratur intentio particularis glorificandi Deum eo modo: hoc est per medium sanctorum Monachorum fundatorum; & isti intentioni a Monasteriis non reformatis, sicut omnia de facto sunt in Polonia, tunc jam ab ipsis Monachis contraventum, qui obliti primi fervoris & observantiæ regularis dant campum Sanctitati Vestræ ad satis faciendum in altero modo piis fundatorum intentionibus.

*Nec obstat, quando etiam reformari deberent Monasteria Polonica, quia multæ probarentur difficultates insuperabiles, volendo introducere cum Monachis reformatis Abbatem extraneum Reformatum obstantibus constitutionibus Regni, quæ volunt ut Abbates sint nobiles Poloni. Velle autem, ut Monachi reformati sint sub regimine Abbatum non Reformatorum, destrueretur per hoc ipsum ipsa reforma in sua radice, & e converso in Abbatiis Commendatariis Reginem Spirituale, cum non sit penes Commendatarios, facile possunt introduci Monachi reformati cum omnibus eorum superioribus usque ad priorem inclusive, & regni secundum illorum Regulas & constitutiones sine ullo imaginabili impedimento.*

*Et quantum ad numerum Monachorum, qui est diminutus per commendas, si est quæstio de non Reformatis, uti sunt in Polonia, damnum, quod resultat, non est considerabile, & si tractamus de Reformatis introducendis, ex istis in majori parte Abbatiarum erunt triginta & amplius Religiosi, & difficile possent esse plures, etiamsi cessarent Commendae, quia ubi in prima illorum origine erant soli ad recipiendos illos omnes, qui relinquebant mundum; modo numerus Religiosorum in civitatibus, & etiam illis ita excrevit, ut vix illi, qui habitant in sylvis, numerum possint habere mediocrem Monachorum, sicuti monstrat experientia, & in particulari in Polonia. Sed restringendo se eo magis in casu regni hujus, quando dicti Monachi relinqverent ex se ipsis unam portionem redituum suorum illis Episcopis, apparet, quod facerent actum justitiae, quia superioribus temporibus Episcopi dum essent divites, cedebant partem bonorum suorum Monachis & cum nunc aliqvi sint depauperati per bella & alias calamitates, & Monachi tenendo bona superflua, deberent mutuo necessitatibus illorum subvenire.*

*Ad extremum B. Pater Sanctitas V. potest esse informata a suis Nuntiis,; an Abbates Monachi in Polonia melius operentur, quam Commendatarij, an illorum vita sit modestior, an fabricae Monasteriorum, quae regunt, melius manu teneantur, & an Monachi in majori numero, & magis sint exemplares & an Spiritus vere ibi maneat Religiosus, etiam in his ipsis, qui sunt ab illis electi, ut disputarent cum nominatis Regis ad demonstrandam Sanctae Sedis necessitatem protegendarum eorum liberarum electionum.*

Ex his

*Ex his motivis concipit Rex vivam spem obtinendae gratiae, pro qua supplicat, & qvamvis Reges sui Praedecessores praesentaverint ad omnes Abbatias Poloniae, quamvis praesentati obtinuerint easdem sine difficultate & disputatione, & per id manserit praetensio generalis supra omnes; Sua Majestas tamen ad demonstrandum desiderium obsequii erga Sanctitatem V. cum generositate erga illas Religiones relinqueret numerum sufficientem illorum dispositioni, & liberae electioni.*

§. XVI.

Postulat iam instituti ratio, ut postquam legimus, quas præ se tulerint rationes Rex, Respublica & Episcopi, cognoscamus quoque fundamenta juris, quibus Monachi innitantur sese consvetudini inveteratæ opponentes. Doleo autem, quod scripti, Romæ typis impressi, ex 7. plag. constantis & a Monachis divulgati, non potuerim fiere particeps? quippe facile mihi persvadeo Stomachosum illud fuisse in Regem & Episcopos: cum Zaluski sit veritus integrum repetere, & tantum in Epitomen conjecerit adjecta refutatione argumentorum. Forte id vel eo ex est factum, quod ipse Zaluski non possederit libellum, vel contumeliis & obtrectationibus repletum judicaverit indignum qvod relegeretur. Ceterum hic præfixus est titulus:

# REFUTATIO RATIONUM

## *A Monachis Contra Memoriale Supra Scriptum Inductarum.*

Contra illud Memoriale ac eius motiva acuerunt Cistercienses sagittas suas, & authore Iosepho de Capucinis Procuratore causarum in urbe, repræsentarunt S. Congregationi Consistoriali in multis foliis typo impressis, ob qvas Privilegium petitum non esset concedendum, sed providendum ne in posterum tacilis pateat aditus petendi & concedendi Commendas Abbatiarum.

Non licet hic ea omnia ponere ob prolixitatem, & qvod jam in anterioribus scriptis plene refutata sunt. Nihilominus

qvia

qvia plura ibi adducta sunt erronea & a veritate aliena, præsertim de rebus Polonicis, ne alicui minus ignaro iurium & rerum nostrarum, minus æquam imprimant ideam, præcipua hic breviter perstringam.

Inprimis dictus Procurator sic incipit: commendæ Monasteriorum seu Abbatiarum Regularium, qvo magis a iure improbatæ reperiuntur, eo magis a sæcularibus desiderantur; idque elapsis temporibus sæpius Regulares Regni Poloniæ experti fuerunt: sed hodie res eo pervenit ut proxima via sit ad exitium, nisi Summus Pontifex paterna occurrat pietate: Siqvidem succedente vacatione alicuius ex dictis Abbatiis, statim Sæculares pro se ipso illas postulando, & bona Abbatiarum ultro invadendo, liberas Monachorum electiones impediunt; & ultimo loco obtinuerunt nomine Seren. Regis Poloniæ porrigi supplicem libellum SSmo D. nostro pro perpetuo privilegio commendandi quindecim Abbatias Sæcularibus personis ad voluntatem eiusdem Regis.

Respondetur. Non hodie non heri & nudius tertius & ante tempora sæcularia antecedaneis Regibus præsertim Stephano, Sigismundo III. Vladislao IV. & Joanni Casimiro fuit hic usus, quem Joannes III. manu tenere contendit nihil innovando. Quod & quoties sub illis Regibus Abbatiæ erant commendatæ, docent regestra datariæ & archiva Episcopalia & Monasteriorum: Et tamen Monachi nihil de his querebantur, nulla eorum subsecuta pernicies, nullum exitium: Quin imo in majori vivebant pace & quiete sub potentiore Commendatariorum protectione. Modo vero dum optimus Rex Joannes vix unam & alteram Abbatiam commendari solitam nominat in commendas, ecce clamor factus est magnus, salva nos, perimus! Sed quid turbati estis modicæ fidei & trepidatis timore, ubi non est timor? non venit vos perdere sed salvare gratiosus Joannes.

Non capio hanc Monachorum mutationem quod dum prius has Commendas pacifice tolleraſſent, modo contra eas tanto-

tantopere exardeſcant? niſi forſan, qvod antiquiores illi Patres erant modeſti, humiles, devoti, moderni vero juvenes, litigioſi, inquieti, ambitioſi, malentes ipſimet hac offa gaudere, quam ſæcularibus eam cedere. Quapropter Seren. Rex Joannes videns nominationibus ſuis in Commendam tantas a Monachis contradictiones & difficultates in Curia Romana excitatas, nolensque violentis mediis more anteceſſorum ſuorum ius Regium tueri, judicavit conſultius fore, ſi aliqva deſuper iniretur concordia: & ideo non Prælati ſæculares, ut Procurator aſſerit, ſed ipſe Rex miſit Ablegatum ſuum ad urbem cum illis propoſitionibus.

Qvamvis autem hoc negotium omnes tangat Religiones, ſcilicet Canonicorum Regularium, Benedictinorum, Præmonſtratenſium; tamen illæ ſilent ac omnes Regis diſpoſitiones venerantur & acceptant: Soli Ciſtercienſes qui deberent eſſe qvietiores, reclamant & ſcribunt ſtylo ferreo ſine debito reſpectu Majeſtatis & Prælatorum dignitatis multaque contra veritatem ac moleſta tautologia eadem ſæpe repetendo & ad ſimilem repetitionem etiam nos nolentes cogendo. Si dixerint magis eorum intereſſe, qvod ipſi plures habeant Abbatias, qvam cœteri ordines, ſed hoc ipſum ad majorem eos obligare deberet gratitudinem erga Reges fundatores ſuos, qvi tam multa & magnifica contulerunt eis bona & Monaſteria. Nonne æqvum eſſet remittere aliqvid de rigore iuris ſui in gratiam tantorum Benefactorum? nonne cui plus datum eſt, plus diligit?

Qvod aſſerit Procurator de invaſione Abbatiarum per ſæculares, hoc probare non poteſt, qvia mera eſt impoſtura. Nam dum qvis obtinet nominationem a Rege ad vacantem Abbatiam, curat illam intimari Religioſis ut eum eligant ſeu poſtulent ſe in Commendam, cvius proviſio antequam ab urbe veniat, bona Abbatialia non attingit.

2do Scribit Procurator, Commendis Monaſteriorum & Abbatiarum favore ſæcularium omnis iuris diſpoſitio obſtat. &c. Si ita dicit iura obſtare Commendis, ut eæ paſſim immeritis &

sine causa concedantur, assentior. Si ita ut omnino nunquam cum rationabili causa & personis benemeritis conferri debeant: id pernego. Nam Concil. Generale Lateranense sub Leone X. Pont. M. Sess. 19. in fine ita decernit: Ea vero Monasteria, quæ commendata fuerint, cum per eorum cessum vel decessum, quibus erant commendata, Commendæ eiusmodi destiterint, Cardinalibus duntaxat ac personis benemeritis conferri possunt.

Imo etiam beneficia Regularia in titulum conferri solita posse concedi in Commendam Clerico sæculari ob aliquam necessitatem vel utilitatem docent Gonzales ad Regul. 13 glos. 13. n. 43. & seq. Garz de Benef. par. 7. cap. 10. n. 16. Later. de Regul. Benef. lib. 3. Quæst. 13. n. 106. & in simili ponderavit rota dec. 242. n. 20. S. præterea. Qvod idem Praxis quotidiana confirmat, dum videmus non solum Cardinalibus & Prælatis, sed etiam aliis Clericis tot Monasteriorum Regularium etiam in titulum dari solitorum Commendas concedi, & attestatur Cardinal. de Luca tom. 12. tit. de Benef. Disc. 64. n. 6. & seq. Conrad. in Prax. Disp Apost. lib. 6. & c. 13. n. 513. versu dantur ut plurimum Et. c. 4. n. 43

3tio. Scribit: Regularia regularibus debent conferri non sæcularibus. Respondetur, in titulum, sine causa, immeritis, concedo. In Commendam, ex causa benemeritis, nego cum citatis supra. Et cur plures Religiosi ambiunt Episcopatus, quos de facto plures obtinent in Polonia, ut Culmensem Opalinski, Professus Cisterciensis; Chelmensem Swięticki, Professus Canonicorum Regularium; Camenecensem Gninski, Professus Cisterciensis, qui antea Referendariatum regni tenuit. Plures etiam Parochiæ pingves a Regularibus possidentur. Imo ad eminentissimum gradum purpurati Senatus assumuntur. Longe ergo pingvior fit Regularibus compensatio a sæcularibus, quorum ipsi præcipuas solent obtinere dignitates, pro aliqvot tantum Abbatiarum Commendis. Vere, non sicut delictum, ita & donum, sed longe superabunt gratia.

4to Scri-

4to Scribit: ex Regula S. Benedicti & Stephani spectat ad Monachos electio Abbatis de medio eorum; Resp.: plurima alia ex regula spectant ad Monachos, quæ dum non observant, frustra & de hac laborant. Num est potior ratio unius regulæ qvam alterius, nisi forte illa, qvam negligunt, sit carni onerosa & ducat ad majorem perfectionem & animæ salutem, hæc vero pro qua zelant, est commoda, favorabilis, honorifica, & docens ad vanitatem. Sed qvi horret spinas, justum est ut non habeat rosas. Qui offendit in uno factus est omnium reus.

5to Scribit: Summus Pontifex non dare potest Commendas, nisi urgentissima necessitate de plenetudine potestatis, & cum gravi præiudicio Monachorum. R. Omnia iura dicuntur esse in pectore summi Pontificis, & qvidem perfectius qvam in capite istius Procuratoris. Cum ergo tot summi ac piissimi Pontifices commendas concedere tam frequenter non dubitaverint; signum est, qvod non reqvirant tantam solennitatem, nec in ullum vergant Monachorum præiudicium.

6to Scribit: Commendas prohiberi a Concil. Trident. Sess. 14. Cap. 10. Sess. 24. Cap. 13. de Reform. & Sess. 25. cap. 21. de Regular. Responderi non potest melius quam ipsos textus allegatos huc adducendo, ut lector ipse & vim legis, & fidem scribentis perpendat.

Sess. 14. Cap. 10. sic habetur: Regularia beneficia in titulum Regularibus professis provideri consveta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias causas illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur.

Sess. 24. Cap. 13. Quoniam pleræque Cathedrales Ecclesiæ tenuis reditus sunt, & angustæ, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant; examinet concilium provinciale, vocatis iis qvorum interest, & diligenter expendat, qvas propter angustias tenuitatemque rationes

vel novis proventibus augere expediat, confectaque de præmissis instrumenta ad summum Rom. Pont. mittat, qvibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqva accessione ex fructibus augeat. Interim vero, donec prædicta effectum sortiantur, huiusmodi Episcopis, qvi fructuum subventione, pro Diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint nec dignitates, seu Canonicatus, & præbendæ, monasteria, in qvibus viget regularis observantia vel quæ Capitulis generalibus & cœteris visitatoribus subduntur, a summo Rom. Pont. provideri.

Sess 25. Cap. 21. Cum pleraque monasteria, etiam Abbatiæ, prioratus & præposituræ ex mala eorum, quibus commissa fuerunt administratione, non levia passa fuerint, tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta, cupit Sancta Synodus ea ad congruam Monasticæ vitæ disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura, difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, qvod optaret, remedium possit adhiberi; ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salubriter aliqvando provideri possit: primum qvidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, Regulares personæ, eiusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Qvæ vero inposterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.

1mus. Textus militat pro Commendis, dum enim jubet signanter beneficia Regularia in titulum dari consveta, danda etiam esse in titulum, hoc ipso permittit ut commendari solita commendentur. Oppositorum enim opposita est ratio.

2dus Textus etiam est pro nobis, dum enim prohibet in subventionem Episcopis tenuioribus provideri Monasteria, ubi viget regularis observantia, eo ipso concedit ea Monasteria, ubi non

non viget regularis obſervantia. Sed in Monaſteriis Ciſtercienſibus in Regno Poloniæ non viget regularis obſervantia, uti deductum eſt alibi; ergo ea Epiſcopis commendari poſſunt.

3tius. Plurimum favet nobis. Primo enim tam delicate in hoc procedit, difficultatem remediorum ob conditionem illorum temporum conſiderat, nihil decernere audet, ſed ſolum confidere ſe dicit ſummo Pontifici, ut pro ſua prudentia & qvantum illa tempora ferre poſſe viderit, remedia procuret. Unde hanc diſpoſitionem Concilii non præceptivam ſed tantum conſultivam eſſe mente S. Congregationis interpretum Concilii tradit Paris de reſign. Benef. Lib. 4. Quæſt. 5. n. 3. Fagnanus in cap. cum ad noſtram n. 10. de elect. Gratianus Diſcep. foren. cap. 123. n. 12. Si ergo illis temporibus ante annos 150. cum tanta circumſpectione procedere debuit Concilium & Papa, longe maiori utendum nunc eſt ſæculo delicatiori.

Noverat bene Concilium & Regulas Monachorum & Privilegia Pontificum ac omnia iura eis ſervientia, & tamen nihil duri ſtatuit, imo ſe occurrere non poſſe illis in genere fatetur, ſolo conſilio ſuo inſinuato, qvid facto opus eſſe exſtimaret.

Longe reſolutiora edidit in eadem Seſſione prioribus capitibus ſtatuta de obſervantia regularum ut diſciplinæ metus inſtauretur, ut omnes ad regulæ præſcriptum vitam inſtituant, quæ ad eſſentialia vota & ad eorum victum & veſtitum communem pertinent, fideliter ſervent, nulla bona immobilia & mobilia cuiuscunque qualitatis privati teneant, ſed ea ſtatim ſuperiori tradant, ut Conventui incorporentur, ut ſuppellex eorum ſtatui paupertatis conveniat, nihilque in ea ſuperfluum ſit. Et tamen boni Regulares non zelant pro his obſervandis, non recurrunt ad Sedem Apoſtolicam cum qverimoniis de eorum neglectu, non litigant, non faciunt ſumptus pro illis, quæ tamen maiorem ipſis afferrent utilitatem, honorem & ſanctitatem quam electio Abbatum. 2do. Ob malam adminiſtrationem Abbatiarum & non levia inde detrimenta

vellet Concilium tollere commendas. Ergo ubi est bona administratio per Commendatarios & nulla detrimenta sed commoda, tales non tollit. Sed in Polonia ordinario tales sunt Commendatarii, nec Rex nominat nisi qvos post longam probationem in aulis certo sperat recte administraturos. Ergo tales non reprobat Concilium. 3tio Jubet concilium ut in Abbates titulares præficiantur professæ spectatæ virtutis & sanctitatis qui gregi suo præire & præesse possint. Id ergo observent regulares, & nos relinqvemus Commendas: qvia has solum prætendimus ex principali hoc motivo, quod non videamus Regulares Abbates ita virtuosos, sanctos, qui & præsint & prosint, sed potius passim scandalosos, fastuosos, nullam curam regularis observantiæ habentes, & exinde longe maiora mala in temporalibus & spiritualibus ex his Abbatibus, quam ex Commendatariis in administratione Abbatiarum provenientia. 4to. denique consideretur cap. 18. Sess. 15. eiusdem Concilii, ubi præscribit modum observandi & dispensandi sua decreta his verbis: Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat, sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Qvod si urgens justaque ratio & maior quandoque utilitas postulaverit cum aliqvibus dispensandum esse causa cognita ac summa maturitate, atque gratis erit præstandum. Non ergo ita stricte observare jubet sua decreta S. Concilium, ut quandoque in eis dispensationem non permittat, imo fatetur, publice expediens esse legis vinculum quandoque relaxare ex iusta ratione, necessitate aut utilitate, (quam supponit maiorem posse accidere observantia decretorum) habitoque personarum & rerum delectu. Uti de facto videmus qvotidie eiusmodi dispensationes in gravioribus longe decretis, qualia sunt de incompatibilitate beneficiorum, de gradibus proximis consangvinitatis &c.

Cur

Cur ergo longe facilius in consultiva tantum non tam lege qvam directione dispensari non possit.

7mo. Adfert Procurator: Constitutiones Synodales Poloniæ liberas Electiones Abbatum confirmantes, & commendas qvantum fieri potest evitari præcipientes. R. 1mo. Eædem Constitutiones longe fortius conantur manutenere liberas Electiones Episcoporum sub maximis pœnis & censuris, & tamen jam istæ evanuerunt, nominationes vero Regiæ ius integrum & non controversum possident; nunqvid cœtus Monachorum volunt esse digniores Senatu Prælatorum & Canonicorum, qui non obstantibus Constitutionibus Synodalibus jus eligendi Episcopos amiserunt. An Abbas maior est Episcopo? An magis considerabiles sunt aliquot Monachi, qvam tot millia centena animarum diversi status, sexus, conditionis, imo & ipsarum Religionum? qvibus tamen Episcopi a Regibus nominati præsunt.

2do. Ex communi sensu Theologorum & Canonistarum leges non obligant, cum non acceptantur, præsertim a Regibus & Principibus, sed prædictæ Constitutiones non sunt acceptatæ a nostris Regibus, ut patet ex contrariis eorum statutis ac usu: Et qvidem iusta de causa, cum latæ essent a subditis contra ipsorum leges & rationes status.

3tio Illas Constitutiones Greg. 13. approbando commisit per suum Breve ibidem relatum Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Cracovienſi, ut per censuras compellerent eos observari; at nullum extat vestigium non solum alicuius censuræ, sed nec monitionis in hoc puncto: Qvamvis Rex Stephanus post illam Synodum & Literas Gregorii 13tii de illa ad se datas, ad Abbatiam Andreiovienſem nominasset in Commendam Stanislaum Reſcium, qui eam primus obtinuit a Sixto V. uti docent acta eius Conventus.

4to Forsan illo tempore Regulares & Abbates erant observantiores & non tantopere luxui & fastui dediti, ideo uti abomnibus ita a Clero magis observabantur: sed illis postea deterioratis

rioratis & magis sæcularisatis, nulla similis in subsequentibus Synodis favore eorum extat Constitutio, quin imo nec eorum qverela de nominationibus & Commendis legitur qvamvis postea magis invaluerunt. Legitur solum in Synodo Provinciali anni 1607mi : Quod Abbates Regulares supplicarunt Synodo quatenus possent per instantiam DD. Episcoporum ab onere legis comitialis eius anni qvoad alendos pueros nobilium sub pœnis Cortheſanorum liberari. Sed tamen nihil effecerunt. Nam eadem constitutio in seqventibus comitiis anno 1609mo est approbata. Ex hac igitur eorum gravi qverela in Synodo de alia re, non vero de nominatione Regum aut Commendis, fortissimum desumitur argumentum, qvod priores Constitutiones Synodales nullam vim obtinebant, nec earum auxilium Regulares invocare audebant: qvamvis tunc nullus Abbas sine Regia nominatione fuisset, ut possunt docere eorum Archiva. Et certum est sub tempus illius Synodi fuisse Commendatarios Paulum Wolucki Episcopum Camenecensem Claræ Tumbæ. Bartholomæum Pawsinski, Secretarium Regium, Andreiovienſem &c. Fueruntque deinceps Synodi Provinciales anno 1621. 1628. nulla tamen legitur de electione Abbatum mentio. Imo passim Episcopi & alii Prælati qui constituunt Synodum obtinebant Commendas ad nominationem Regiam.

5to. Denique repeto qvod supra innui. Observent Regulares qvod de eorum observantia præscribunt Constitutiones Synodales locis citatis & nos commendas cedemus. Ita autem sonant: attendens S. Synodus Religiosos ab activa vita & curis huius mundi solutos solique illi cœlesti vitæ mancipatos orationi & contemplationi vacare debere. Et infra: locorum ordinarii in ipsos Abbates & præpositos diligenter prout de iure superintendant, ut scilicet regulariter & sine scandalo vivant & suis exemplariter Monasteriis præsint, habitumque & tonsuram sui Ordinis deferre non erubescant, vestes sericeas non defe-rant. Fratres sui Ordinis studere volentes in studiis generalibus servent, & in Monasteriis certum numerum Scholarium

atque

atque Magistros, qui eos ac novitios Ordinis doceant iuxta dispositionem statutorum Provincialium dudum super hoc editorum teneant & habeant. Capellas etiam suorum Monasteriorum maxime Parochiales Ecclesias seu Præposituras pensionibus indebitis & sibi reservatis non onerent, easque vectigales sibi aliquo modo non faciant, nec illis onera aliqua in earum præsentatione sub depositionis pœna imponere præsumant. Et anno 1587. cap. 16. Dabunt operam Domini locorum ordinarii & superiores secundum formam a Sacris Canonibus & statutis Provincialibus præscriptam, ut Monasteria tam virorum qvam Monialium reformentur, ut qvemadmodum ab initio Religioni, pietati, vitæ sanctitati, doctrinæ, atque disciplinæ sunt dedicata, ita etiam hoc tempore in eis hæc eadem vigeant, suscitentur ac retineantur, & eorum seminaria in ipsis instituantur, scandalaque omnia & abusus qvicunque reperti in eis fuerint, procul inde amoveantur & arceantur.

8vo. Scilicet habemus privilegia summorum Pontificum Commendas prohibentia, Sixti IV. anno 1475. Innocentii VIII. anno 1489. cum strictissimis clausulis & Clementis IX. 1668. edictum consulta prius Congregatione Episcoporum & Regularium.

R. Imo. Priores Pontifices ante Concilia Lateranense & Tridentinum vixerunt: ergo attendenda est non eorum sed Conciliorum posterior dispositio, de qva supra.

2do. Subsequentes Pontifices parem cum prioribus habent potestatem, non ergo poterant illis ligare manus, ut faciant, qvod in Domino judicaverint, qvod enim pro uno tempore est utile, pro alio poterit esse noxium: unde novi casus novas faciunt leges. Ipsum vetus testamentum a Deo ipso conditum erat optimum ante promulgatum Evangelium, vero qvoad judicialia & ceremonialia jam est mortuum, imo & mortiferum illud observanti. Sic & nonnullæ Religiones erant Sanctæ, & a pontificibus approbatæ, postea vero ab aliis juste sunt reprobatæ. Non aliter & de Commendis sentiendum qvas tempore Sixti & Inno-

nocentii bonum erat inhibere: postea vero mutatis rerum & hominum circumstantiis, alii Pontifices judicaverunt esse melius eas permittere ideoque eas passim concedebant, præsertim ad nominationes Regum.

3tio. Clemens IX. consuluit S. Congregationem, sed non consuluit Reges & Principes qui interesse ad illam causam habebant. Cum vero aliquid statuitur non vocatis vocandis, non obligat. Qvapropter ipsemet Clemens IX. anno sequenti 1669. XV. Calend. Junii concessit Nicolao Leszynski Coadiutoriam in Commendam Abbatiæ Wachocensis ad nominationem Joannis Casimiri Regis.

9no. Scribit. Habemus ipsorum Regum Polonorum & Comitiorum Generalium Diplomata & edicta confirmantia libertatem Electionis Abbatum, ac proinde prohibentia Commendas, ut Sigismundi Augusti de anno 1554. Joannis Casimiri 1667. & Michaelis 1669. Regis Stephani Epistolam 1585. & Joannis III. 1672.

Respondetur. Mirum quod Procurator velit Reges nostros telis ipsorum conficere, sed vano ictu. 1mo Quia hic nulla citantur comitiorum Generalium edicta, sed tantum privata Regum Diplomata, quæ subreptitia contra statuta & usum Regni nec approbata in Comitiis & consequenter nulla esse, deductum est evidenter supra in tractatu de Electionibus Abbatum.

2do. Epistola Joannis III. conficitur esse conficta, quia illo Anno 1672. adhuc Rex Michael erat in vivis & non nisi in fine anni sequentis vita functus est, in cuius locum electus est Joannes III. anno 1674. & coronatus anno 1676.

3tio. Stephani Epistola etiam dubiæ fidei ob diuturnam eius conservationem, præsertim cum fuisset privatim ad domesticum suum scripta. Cum etiam in originali non producitur, facile est realitatem eius negare. Si tamen vere eam scripsit nihil aliud ex ea colligitur, nisi summa Regum bonitas & civilitas, qua omnes suos subditos tractant, dum eas svaviter in officio continere

nere ſatagunt. Nunc etiam dum aliquem ad Abbatiam nominant curant bonis modis ut eum Religioſi eligant, non quod de iure ſuo dubitent, ſed ut imitentur ſapientiam divinam, quæ attingit a fine ad finem fortiter & diſponit omnia ſvaviter. Et de facto effecit Stephanus hac ſua civilitate, ut Abbatia Andreiovienſis, non niſi in titulum dari ſolita. nominato eius Reſcio primum in Commendam fuerit conceſſa, Monachis minime reclamantibus. Et hæc ſunt beneficia & myſteria liberæ gentis abſcondita ab oculis aliorum. Si vero aliqui ſpreviſſent eam Regum benignitatem alium eligendo, tunc Reges utebantur iure ſuo ac repellebant volentes ſe intrudere, ſicut & ipſe Rex Stephanus Gregorium Koſtka cooptatum in Coadiutorem a Gaſpare Leslau Abbate Olivenſi citra Regis aſſenſum, non permiſit capere poſſeſſionem, & recurrentem ad Sedem Apoſtolicam ſerio impedivit, per Demetrium Sulecovium Archiepiſcopum Leopolienſem Oratorem ſuum apud Sixtum V. ut teſtatur Heidenſteinis rer. polonic. lib. 7.

10mo. Scribit: petere taliter Commendas propter Epiſcopos & alios Officiales Regni, eſt velle Abbatias diſmembrare & unire illis Epiſcopatibus & Officiis: qvod valde monſtroſum & prohibitum eſt. Reſpondetur. Id quidem forſan ſequeretur, ſi peterentur certæ Abbatiæ certis Epiſcopatibus vel Officiis perpetuo commendandæ: ſed cum ſolum petitur ut Rex pro tempore exiſtens poſſit ad Commendas illarum Abbatiarum nominare qvem vellet ex Epiſcopis vel aliis Officialibus ac Prælatis, nihil aliud petitur niſi ut in pace & ſine controverſia poſſideat Rex ius, quo eius anteceſſores gaudebant, & quod modo impugnant Regulares & Curia Romana.

11mo. Concludit Procurator non debere ex allatis rationibus, privilegium petitum concedi: & quod ex noſtra parte, nulla afferatur ſubſiſtens & valida ad eum effectum: quia (ut ait) ius Patronatus Regum non poteſt probari, nam ad hoc requireretur publicum fundationis & dotationis Monaſteriorum Inſtrumentum, vel immemorabilis cum præſentationibus effectum ſor-

titis & continuatis ſpatio 50. annorum poſſeſſio ac privilegium Apoſtolicum. Reſpodetur. gratis aſſerit reqviri ad probationem juris patronatus fundationis & dotationis Monaſteriorum inſtrumenta publica: Concilium enim Trident. requirit tantum ad hoc authentica documenta ſeu ſcripturas, qvalia poſſunt eſſe teſtimonium Hiſtoricorum fide dignorum. Nam in illa primis ſæculis poſt Paganiſmum illitterata Polonia, vix aliqva poterant eſſe ejusmodi inſtrumenta publica. Vel ſi quæ erant, tanto temporis ſpatio interierunt, aut apud ipſos conſervantur Regulares. Verum cum ipſimet non negant quaſdam Abbatias fuiſſe fundatas ſeu dotatas a Regibus vel Ducibus, ponuntque annotationes earum in hoc eodem ſcripto Procuratoris, miror quomodo tam audacter aſſerat non poſſe probari hanc Regum fundationem ſeu dotationem.

Forſan intelligit id de aliis Abbatiis, quæ referuntur in prædicta annotatione a nobilibus fuiſſe quibuſdam fundata. Sed qvia tunc Reges erant Hæredes & abſoluti Domini omneſque fundi totius Regni erant eorum proprii, ſolumque quoſdam concedebant nobilibus ad uſum, ſtrictiore iure qvam feudi, quia plurima ex eis commoda & ſervitia ſibi reſervabant, præter decimas omnium & expeditiones bellicas propriis eorum ſumtibus ſubeundas, ut videre eſt plurima & diverſa nomina illorum onerum apud Cromerum lib. 2. de ſcript. Polon. & in privilegio Ludovici Regis. Qvapropter nemo nobilium poterat ſuper terris ſuis minimum etiam cenſum inſcribere Eccleſiæ abſque ſpeciali conſenſu Regis, quod duravit uſque ad Sigiſmundum Auguſtum incluſive, ut notorium eſt ex omnibus actis. Ergo ſi nobilis Monaſterio aliqua dedit bona, non tam ſua quam Regis dedit, qvi in illis longe majus & pingvius habuit ius non tantum directi Dominii, ſed etiam aliorum magnorum commodorum inde percipiendorum, quæ per conſenſum ſuum, dum eidem Monaſterio ceſſit (quamvis in aliquibus quædam ſervitia ſunt reſervata & hucusque ſunt in uſu, ut qvidam labores & certa quantitas frumentorum) ipſi potius Regi, quam illi nobili ſun-

li, fundatio & dotatio imputari debet, utpote qui plus contulit quam nobilis : adeoque ius patronatus ex fundatione & dotatione Regi potius competere debet, quam illi nobili : nisi Rex ipse permisset illi etiam idem ius patronatus, quod in Abbatiis ostendi nequit. Hanc ob causam lex est Regni de anno 1510 in hæc verba inter statuta relata : ubi specialis mentio in privilegio ac inscriptione de iure patronatus facta non est, juri Regis reservatum esse cognoscitur. Cum ergo non demonstratur talis reservatio nobilibus in privilegiis fundatorum ab eis Monasteriorum, igitur ex hac lege ius patronatus eorum ad Regem pertinebit. Est item alia lex comitialis de anno 1588. dum consangvinei alicuius in octavo gradu non extant, bona eius ad Regem devolvuntur. Sed nemo apparet ex consangvineis fundatorum nobilium in octavo gradu. Nemo enim illud ius patronatus ad Abbatias prætendit. Ergo etiam hoc titulo sicut alia bona eorum ita ius patronatus, si qvod habuissent iidem fundatores, spectabit ad Regem? ergo ulterius stat firmum & probatum, quod omnium Monasteriorum, seu a Regibus seu a nobilibus fundatorum, ac datorum, habent Reges ius patronatus ex fundatione ac dotatione.

Qvamvis autem Concilium Trident. ad probationem juris patronatus etiam in Regibus disjunctive solum requirat vel fundationem vel dotationem vel immemorabile tempus cum præsentationibus, effectum sortitis & per 50. annos continuatis. Nihilominus nos ex abundanti præter fundationem & dotationem demonstrationem adducimus & tempus immemorabile cum talibus præsentationibus ex ipsis regestris datariæ & archivis variarum Ecclesiarum, adiicimusque infra longam earum seriem.

Qvia vero præter hæc requirit Procurator in regulari Ecclesia privilegium Apostolicum in limine fundationis concessum. &. Id quidem etsi forsan verum esset de Ecclesia mendicantium, sed non de illorum, quibus fundatores ampliſſima contulerunt bona, quæ abunde sufficiunt pro privilegio. Verum quidqu.d

sit de iure, certe in facto potuerunt esse & talia privilegia, quæ apud ipsos Regulares credibile est extare, quæ dum nobis non communicant, non possumus ea probare. Verum æquivalent illis privilegiis tot Bullæ Pontificum cum provisione Commendarum & coadjutoriarum ad nominationes Regias.

Qvod autem ulterius Brocurator scribit: nec prædictæ probationes pro iure patronatus afferuntur, sed nec talis probatio dari potest obstantibus constitutionibus Synodalibus, privilegiis Ordinis, declarationibus Regum. R. Non capio id, siquidem iam demonstravimus ex eorum documentis, & fundationes & dotationes, & immemorabile ac præsentationes effectum fortitas & continuatas per annos 50. Qvæ probatio eo fortior est, quod obstantibus constitutionibus & privilegiis usus nominationum Regiarum fuit continuatus, approbante Sede Apostolica, Qvod ex mente Concilii Trident. sufficeret ad probationem iuris Regii, etiamsi non esset fundatio vel dotatio. Et ratio est, quia omnes servitutes tunc maxime inducuntur, cum eis ab initio quidem resistitur, sed tandem desistitur, altero interim continuante suos actus contrarios; Quo fit ut cum illa servitus inducta sit, habeatur jam cum tempore pro iure validissimo ex dispositione omnium legum. Quamvis ergo Synodi videantur restitisse nominationibus Regiis ac aliis dispositionibus circa Electiones Abbatum; tamen a centum & amplius annis siluerunt, ut probatum est, Regibus interim prosequentibus suas nominationes cum effectu.

Ut autem prædicta melius intelligantur, & credantur, conveniens judicavi inserere hic ipsum textum Concilii Trident: circa ius patronatus. Sess. 25. c. 9. Sicut legitima patronatuum jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum constitutione violare æqvum non est, sic etiam ut hoc colore, beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decrevit S. Synodus, ut titulus iuris patronatus sit ex fundatione vel dotatione qui ex authentico documento &

aliis

aliis iuris requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis prætensionibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoria excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. In iis vero personis seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter ei suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ non minori saltem qvam 50. annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sunt authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes abrogantur exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges seu Regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, iura imperii in Dominiis suis habentes pertinent &c.

12mo. Scribit Procurator. Sed ut clarius in subsistentia prætensi iuris patronatus appareat, congruum erit referre initium & modum, a quo Ministri Regis Poloniæ Regale iuris super Episcopatibus & Abbatiis deducunt. Et refert Cromerum de anno 1207, quod iam tunc Reges in electiones Episcoporum se ingerebant. Deinde implet paginam Historia de Sienenio & Gruseinio in anno 1460. & concludit: qvod exinde Sedes Apostolica ad nominationes Regum Episcopatus providere consvevit. Quarum revolutionum occasione, & Monasterio Lubinensi impositum, ut Abbas eorum non consecraretur sine regio assensu, qvod deinde & in aliis Monasteriis prætendi cœpit.

℟. 1mo. Non solum ab an. 1460. sed longe ante liberæ Electiones Episcoporum infringebantur. Nam idem Cromerus scribit lib. 15. quod an. 1390. mortuo Joanni parvo Episcopo Cracovienſi succeſſor a Collegio est designatus Secechus Chmielicius Canonicus, sed Rege & Regina postulantibus, Bonifacius XI. Sececho rejecto, Petrum Wisum Episcopum fecit. Item quod ad Archiepiscopatum Gnesnensem post mortem Joannis elegerat Capitulum Dobrogoscium Novodworscium, sed obstante Lu-

te Ludovico Rege, ab eodem est suffectus Bozenta & ab Urbano VI. admissus. Plura similia habet exempla Domalewicz in vitis Archiepiscoporum Gnesnensium & Episcoporum Vladislavienſium.

℟. 2do. Procurator hac deductione optimi dat materiam argumenti pro iure Regis contra se: nam etiamsi vigore præmissorum constet de initio infractarum Electionum Episcoporum ac usurpationis (ut ipse ait) nominationum regiarum ad Episcopatus. Nihilominus indubitatum iam ius ad nominationes Episcoporum habent Reges, sic volente & consentiente Sede Apostolica, ita ut iam id revocare, non sit ei integrum. Ergo a maiori ad minus argumentandum; licet si verum esset qvod ab Abbatia Lubinensi sumptum sit exordium circumscribendi Electiones Abbatum: tamen quia iam per tot annos hic usus invaluit quoad omnia Monasteria cum beneplacito Sedis Apostolicæ, non ergo licet jam revocare, sed Reges ex pari ratione, pari debent gaudere jure tam supra Episcopatus, quam supra Abbatias.

℟. 3tio. Abrogatio violenta electionis Episcoporum ac usurpatio nominationum iuxta mentem procuratoris, dedit ius Regibus ad Episcopatus assentiente Sede Apostolica. At circumscriptio electionum Abbatialium non est facta per violentiam sed ex iustissimis rationibus, ut legere est in assumptis statutorum de hac re, & cum assensu Monachorum, qui ibidem suo Diplomate obligant se ad petendum assensum Regium: imo subsecutæ postea nominationes eligendorum sive in titulum, sive in Commendam a Monachis acceptabantur, a Sede Apostolica admittebantur. Ergo justiori & fortiori titulo jus ipsis acquisitum quoad Abbatias tolli non potest.

13tio. Procurator citatis statutis regni circa Abbatum electiones concludit: en quomodo potestas Laicorum circa Ecclesiastica in dies assumit vires. ℟. Non mirum id, quod decrescente Religiosorum observantia, crescat contra eos sæcularium potentia, dum scilicet in spiritualibus abundat delictum, refrigescit

gescit erga eos charitas sæcularium: quia isti qvidqvid spiritualibus præstiterunt vel præstant, sive eis se submittendo, eos honorando, seu bona sua eis elargiendo, id faciunt non propter solum nomen aut statum spiritualis vel Religiosi, sed quia illis inesse credunt maiorem pietatem, virtutem, cum Deoque coniunctionem, unde ob eorum preces & merita majorem super se sperant Dei benedictionem. Dum vero contrarium advertunt, dolent se in eis oleum & operam perdidisse, ac pro merito eos tractare minime verentur, non ex contemptu status spiritualis, sed ex demerito personarum. Videmus enim, qvod mendicantibus ac aliis, quos existimant esse Religiosiores & ferventius Deo servientes, in dies Monasteria ac templa fundant & dotant, antiquioribus ob eorum negligentiam neglectis. Nullum enim Cistercienſium Monasterium aut Abbatiam per 500. ab hinc retro annos legimus de novo fundatum.

14to. Scribit Procurator: prædicta statuta regni, ex quibus unice prætensum ius patronatus deduci potest, non juvant sed tollunt ius patronatus, dum fatentur liberam electionem Abbatum, ac solum servitutem qvandam ei imponunt ut personæ certis qvalitatibus ornatæ Nobiles Poloni eligantur. Si enim Rex Patronus fuisset, non declarasset electionem pertinere ad Monachos, nec indiguisset modum imponere circa electionem, cum Patronus possit personam sibi beneviſam nominare.

R. imo. Deduximus luculenter superius ius patronatus Regium non ex statutis Regni, sed ex fundatione, dotatione, usu immemorabili ac beneplacito Sedis Apostolicæ. Quamvis enim & statuta idem ius demonstrant, quia tamen in minori sunt ad hunc effectum apud Curiam Rom. consideratione, non ostendimus nos illis tantopere inniti. Verum quia Procurator contra nos ea objicit, sic illa contra ipsum retorqvemus.

Et quidem non fatentur aut declarant in allegatis statutis Reges libertatem electionum Abbatum, ut Procurator imponit,

neque hoc ex illis potest elici, sed potius negant eam libertatem, dum eis inhibent ne externos aut plebeios, ac præcipiunt ut nobiles solos ejusdem Monasterii vel in defectu ejusdem Diœcesis etiam sæcularem Clericum eligant seu postulent, utque Episcopus intimet electionem cointelligentiam habendo cum Rege, qvatenus jus & consvetudo antiqua servetur. Quæ lex promulgata est in comitiis anno 1588. qvo Gregorius 13. paucis antemensibus constitutiones Synodales libertatem electionum Abbatum tuentes approbavit. Anno vero 1607. statuitur ut Abbatiæ conferantur secundum ius antiqvum competenter electis, juribus Regalibus per omnia salvis. Estne hoc libertatem electionum fateri aut declarare? quomodo tam circumscriptæ possunt dici liberæ? cum vigore horum statutorum non liceat Monachis eligere quem volunt, sed determinantur ad certam personarum speciem. Nonne potius huiusmodi dispositiones sunt proprii characteres Patroni? qvid enim iurium Regalium conservatio & præcustoditio ut secundum ius & consvetudinem antiquam electis atque præmissa Episcopi cum Rege cointelligentia conferantur Abbatiæ, denotant, nisi iura patronatus. Et certe Cromerus illorum priorum statutorum scribens suam Historiam annotavit jam non fuisse tunc liberas electiones Abbatum.

Sed si quid in statutis obscurius alicui videtur, declarat id usus, optimus legum interpres, siquidem uti constat ex Synodo de anno 1551. iam tunc erant Commendæ Abbatiarum, certe non ex libera Monachorum electione, sed ex Regum nominatione.

Deinde cuius est leges condere, eiusdem est & interpretari. Qvomodo autem Vladislaus IV. filius Sigismundi interpretatus sit illa priora statuta, patet ex illius adducto statuto, per quod non tollit libertatem electionum, sed declarat morem antiqvum, hæc enim eius sunt verba.

Sed dicet aliqvis: tamen in illis statutis toties dicitur ut Monachi libere eligant. Respondetur: & Vladislaus & eius frater

ter Joannes Casimirus & Michael & Joannes III, literas nominationis suæ ad Abbatiam dirigendo ad Monachos, observant eandem civilitatem, scribendo ut eligatis: nihilominus Monachi conqueruntur tolli sibi hoc modo libertatem. Qvamvis ergo & in statutis idem dicatur, non conceditur tamen vere libera electio, sed tantum eius ceremonia sicut & nunc qualis relicta est capitulis Canonicorum: & illi enim eligunt in Episcopum nominatum a Rege, sed sine libertate eligendi alium, nec propter eam electionem censentur Reges carere jure patronatus ad Episcopatus.

Eandem ceremoniam & Reges Hungariæ observant cum Proceribus suis, qvamvis enim illud Regnum iure hæreditatis ac successionis sibi esse debitum asserant, tamen electionem pro forma instituunt.

Qvæ in substantia non est aliud nisi acceptatio publica Regis per populum sine libertate alium eligendi: Nec Reges Hungariæ amittunt sua iura ad regnum per eam Electionis concessionem. Ergo & Reges Poloniæ non amittunt suum jus patronatus ad Abbatias, qvamvis sive per statuta, sive per nominationes concedant Monachis ceremoniam eligendi. Id enim faciunt non ex indigentia sed ex indulgentia, ut ita svavius res procedant.

Si alicui supereſt scrupulus, quod per nominationes unus designatur eligendus, ideoque per eas tollitur libertas: sed per statuta non determinatur certa persona in individuo, sed tantum in specie, scilicet plures nobiles, idonei in illo Monasterio ab antiquo manentes proponuntur eligendi, ideoque per eadem statuta videtur libertas electionis conservata.

R. Major qvidem in hoc tunc fuit Regum indulgentia non tamen cum detrimento juris patronatus sui, qvod semper voluerunt esse salvum. Sic & Capitulo Varmiensi Reges præsentant pro electione in Episcopum qvatuor personas, nec tamen per hoc aut Rex amittit suum jus patronatus, aut Capitulum veram habet libertatem Electionis, dum ex illis 4. eligere teneantur

tur qvem a Rege sciunt peculiariter desiderari. Possunt hoc & alii Patroni facere plures personas ad aliquod beneficium Episcopo præsentando in specie tantum eos, non in individuo, nec nominibus propriis, sed aliquibus tantum qualitatibus designando v. g. Theologos biennales nobiles in Seminario Crac. biennio degentes, ut unum ex his non vero alios eligat & instituat. Quis dicet Patronum illum fateri aut declarare libertatem Electionis Episcopi, qui potius obligatum se patrono tali pro hac civilitate fatebitur. Sed Reges condendo statuta ut Monachi eligant Nobiles, idoneos, in eodem Monasterio manentes &c. non vero plebejos aut externos ; qvid aliud re ipsa præstabant, qvam præsentabant & nominabant plures personas certis qualitatibus eas designando, ut hos non alios Monachi eligerent in Abbates, instituendos per quem de iure. Ergo per talia statuta non agnoverunt nec declararunt Reges libertatem Electionis, sed potius per tales designationes ius patronatus suum asseruerunt, & Monachis testati sunt gratiam, qua cum abusi essent per suas recalcitrationes, Reges ab ingratis illud beneficium sustulerunt & nominationes suas ad unam personam restrinxerunt, reservata tantum pro solatio Electionis ceremonia, iuxta illud; cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.

15to. Scribit. Illa statuta sunt reprobata per Constitutiones Synodales, per Clementem IX. imo per Joannem Casimirum & Michaelem, Reges Poloniæ. ℟. Jam sat superque dictum est de his Constitutionibus Synodalibus ac aliis adductis, non potuisse ea habere talem vim abrogandi, obstante contrario continuoque usu & consvetudine.

16to. Scribit. Frustra in memoriali nostro asseri privilegia Apostolica circa hoc ius patronatus fuisse deperdita, quandoquidem in Archivo Regni Cracoviæ plurima similia reperiuntur privilegia, quæ in summario recenset Procurator. ℟. Illa privilegia quæ reperiuntur, sunt recentiora, nimirum qvod est ex illis antiqvius, est de an. 1433. Sed Abbatiæ fundatæ sunt longe ante, nempe incipiendo ab anno 1140. usque ad annum 1228.

1228. quo ultima Præmetensis, uti in summario annotatur. Illis autem annis nulla erat in Polonia literatura, nullæ Scholæ, siquidem Accademia prima Cracovienſis fundata eſt a Vladislao Jagiellone Anno 1400. teſte Cromero, conſequenter nulla erant ſcripta aut archiva, vel ſi quæ fuiſſent arce Cracovienſi in tot bellis toties devaſtata & incenſa perierunt. Qvod ſi pars adverſa in dubium id revocat, oſtendat aliqvod ſcriptum ex Archivo, qvod eſſet illorum annorum, quibus Abbatiæ ſunt fundatæ,

18mo. Scribit: Nec officit, quod aliquando noſtrorum Monaſteriorum proviſio a Sede Apoſtolica fuerit obtenta, cum enuntiativa juris patronatus & præſentationis Regiæ. Sive quia illæ enuntiativæ ſunt erroneæ ex ſupradictis. Sive quia proviſiones Pontificiæ dictas enuntiativas continentes non ſunt continuatæ ſpatio annorum 50. nec cum eis concurrit immemorabile, minusque privilegium Apoſtolicum in limine fundationis, quæ omnia copulative requiruntur pro forma a S. Conc. Trident. tradita. Magiſque in noſtro caſu, in qvo initium habemus invalidum: Cum ex ſupra dictis pateat Regiam Coronam jus illud quod acqviſitum prætenditur circa Electiones nedum Epiſcopatuum, ſed etiam Abbatiarum Regularium authoritate propria ſibi arrogaſſe &c. R. Advertens Procurator Regium maxime poſt fundationem & dotationem fundari in proviſionibus Apoſtolicis ad nominationes Regias cum expreſſione iuris patronatus expeditis, conatur id infringere pluribus adductis rationibus, ſed minime relevantibus. Et quidem quod errorem imputet datariæ & Cancellariæ Rom. impudentia & imprudentia eſt magiſtram veritatis arguere erroris, præſertim cum dictæ proviſiones primo per Congregationem conſiſtorialem, deinde per declarationem & admiſſionem ipſius ſummi Pontificis, ac poſt per datariæ & cancellariæ centum fere miniſtrorum omnia accurate rimantium oculos & manus tranſire ſoleant.

Qvia vero infra ſcribit illas enuntiativas juris patronatus fuiſſe conditionatas, conſtito ſcilicet de illius realitate, ideoque ob non verificationem eius, non fuiſſe proviſiones executioni demandatas. R. Hoc gratis aſſerit. Ordinarie enim in forma gratioſa abſolute concedebantur. Etſi quæ in forma commiſſoria & conditionata iuris patronatus, tales verificato illo executioni demandabantur ut anno 1675. Abbatia Coronovienſis in perſonam Ignatii Gninski. Quod vero de Andreiovienſi adducit in perſonam Olſzowii expedita ac dein revocata, id trahi in exemplum haud debet: quia hæc prima initium dedit omnibus dubiis & controverſiis circa hoc negotium. Unde & ſententiæ Rotales in hac cauſa minus ſunt attendendæ, quia ſunt latæ nemine, Regis nomine, ius Regium defendente vel comparente.

Feliciori poſtea exitu anno 1682. emanavit Bulla proviſionis Abbatiæ Vachocenſis in Commendam Illuſtriſſimo D. Zaluski moderno Epiſcopo Kijovienſi poſt magnas controverſias, & tria reſcripta negativa Congregationis conſiſtorialis, ac poſt illa omnia quæ Procurator adducit in Rota fuiſſe definita contra ius patronatus; Tamen in hac Bulla quam originalem præ manibus teneo hæc ſunt formalia. Quæ Abbatia ſicut accepimus de jure patronatus chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Joannis Poloniæ Regis Illuſtris ex fundatione vel dotatione ſeu privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur. Et infra: Andreas Zaluski aſſerentis ſe ad dictum Monaſterium ſic ut præfertur vacans a dicto Joanne Rege præſentatum fuiſſe &c. Qvamvis autem illa proviſio fuiſſet in forma commiſſoria ad Officialem Cracovienſem; non committebatur tamen ei verificatio iuris patronatus, ſed ſolum utrum dictus Andreas utilis & idoneus eſſet eidem Monaſterio.

Qvod vero 3tio ſcribit Procurator proviſiones cum abſoluta enuntiatione juris patronatus non eſſe continuatas per annos 50. R. Quod etiam hoc mere imponit: nam aliud oſtendunt regeſtra detariæ quoad Commendas & Coadiutorias; quia dum intitu-

in titulum sive professos sive professandos nominabant Reges, tales ordinarie benedicebantur ab Episcopis & capiebant possessionem sine recursu ad Sedem Apostolicam. Unde talium electiones vigore nominationis Regiæ in Archivis Monasteriorum, institutiones in actisEpiscoporum reperiuntur. Habemus autem ex Regestris Datariæ ab anno 1614 ad hæc usque tempora excerptas provisiones ad nominationem Regiam. Qvamvis præter has deberent esse plures aliæ; cum certum sit etiam ad nominationem Stephani fuisse aliqvas Commendatas Abbatias ac nominatim Andreiovienſem Stanislao Rescio. Imo audacter assero, nullam fuisse a centum annis nominationem Regiam ad quamcunque Abbatiam, quæ non esset effectum sortita; nec ullus fuit Abbas sive in titulum sive in Commendam absque nominatione Regia.

Qvod 4to scribit: nec immemorabilis concurrit cum his nominationibus, cum initium invalidum habeamus.

R. Gratis etiam hoc asserit. Quis enim tam felicis recordationis ut meminerit illud initium. Plurimi vero sunt senes, qui affirmant talem semper fuisse usum. Si ad libros recurratur hoc initium indigitantes; nullum certe esset tempus immemorabile; quia libri res etiam ante aliquot millia annorum actas commemorant. Sed nec in libris probe id legitur. Nam an. 1551. in Synodo Provinciali per modum quærelæ insinuatur, quod jam tunc fuissent Abbatiarum Commendæ: Sed quomodo & a quo cœptæ non edocetur. Certum tamen est illas Commendas non fuisse ex libera Monachorum electione.

Neque ullatenus potest dici initium invalidum, quod erat innixum fundationi & dotationi ac firmatum Sedis Apostolicæ admissione. Unde nec potest dici propria authoritate arrogatum, quod fuit a superiore ratum.

Qvod 5to scribit: Debere ista copulative concurrere ad probationem juris patronatus in Regibus, scilicet immemorabilem cum præsentationibus effectualis per annos 50. & privilegium Apostolicum. Respondetur. id etiam gratis reqvirit. Nam

Conci-

Concilium nullam de hoc privilegio facit mentionem. Et in ſuperius citata Bulla pro Abbatia Wachocenſis expedita, disjunctive recenſentur hæc; Ex fundatione vel datione ſeu privilegio Apoſtolico.

18vo. Refutat Procurator motivum petendarum Commendarum ex indigentia qvorundam Epiſcopatuum deſumptum.

Reſp. quod plurima ponit a veritate aliena. Dicit Epiſcopatum Luceorenſem non confiniare cum barbaris Hoc evidenter falſum eſt, quia protenditur uſque ad limites Turcarum & Tartarorum verſus pontum Euxinum & oſtia Boriſtenis habitantium: eſtque hic Epiſcopatus continua ſedes belli, rapinarum & incurſionum Tartaricarum, præſertim in Palatinatum Wolhyniæ & Braclaviæ, qui Ucrainæ partem comprehenditur. Dicit eſſe pingviſſimum, nec hactenus indiguiſſe ullo ſubſidio; id etiam non minus falſum: quia noſtra memoria Stephanus Wydzga & Nicolaus Prazmowski tenuerunt cum Epiſcopatu Luceorien. Abbatiam Sieciechov. Boguslaus Leſzczyński Czervinen. Idem certum eſt de aliis Epiſcopatibus. Cum Leopolien. Stanislaus Grochowſki & Joannes Pruchnicki tenebant Abbatiam Sieciechov. Joannes Tarnowſki Abbatiam Claræ Tumbæ. Albrechtus Lipſki Andreiov. Cum Præmislienſi Paulus Piaſecki Claræ Tumbæ, Stanislaus Trzebinſki Andrejov. Sarnowſki & Zbęſki Sulejov. cum Chelmenſi Stanislaus Pſtrokonski Tinecen. Remigius Koniecpolſki Andrejov. Joannes Ruzicki Mogielnicen. Cum Canenecen. Joannes Czarnecki Czervinen. Sigismundus Czyzewſki Paradiſien. Joannes Stępkowſki Hebdovien. cum Kijovien. Joannes Sokolowſki Tremeſten. Thomas Ujeiſki & Witwicki Plocen. cum Vendenſi in Livonia Otto Schœning. Sulejovien. Et ad præſens Franciſcus Prazmowſki cum Luceorien. tenet Sieciechov. Andreas Zaluski cum Kijov. Wachov. Dönhoff cum Camenec. Witovien. Popławski cum Livonia Obrenſem. Swięcicki cum Chelmen. Lubinen. &c. Quod tamen Procurator ſubticuit, referendo ſolum prædictos Epiſcopos poſſidere Canonicatus ac præpoſituras ſæculares.

Dicit

Dicit deinde Procurator ſubveniendum eſſe iis Epiſcopatibus ſæcularibus beneficiis. Verum in Polonia nulla ſunt beneficia ſimplicia, ſed ſolum curata Canonicatus & dignitates: quæ tamen Concil. Trident. Seſſ. 24. cap. 13. prohibet dari in ſubventionem Epiſcopis tenuioribus, æque ac Monaſteria, ubi viget regularis obſervantia. Cum vero demonſtraverimus in Monaſteriis Ciſtercienſium non vigere obſervantiam regularem, ergo juſtiori longe titulo & ad mentem Concil. Trident. hæc deberent dari in ſubſidium illis Epiſcopatibus.

Adducit Procurator in exemplum opulentiſſimorum beneficiorum Præpoſituram Laſcen. quæ tamen qvamvis infulata ſit & unita Canonicatui Gneſ. vix efficit florenos mille annui reditus, qui æquivalent centum ſcutis Romanis. Unde quam craſſa ſit impoſtura, dum dicit qvod ſingulæ tales præpoſituræ ſufficerent pro ſubventione omnium Epiſcopatuum facile patet.

Quod vero ulterius aſſerit Procurator: illos Epiſcopatus ex fundatione & dotatione eſſe opulentos ſolumque ex occaſione bellorum injuriam paſſos: id non convenit adductis per nos: Quia continuatæ ab antiquo huiusmodi ſubventiones per Abbatias, oſtendunt eos ſemper fuiſſe tenues & indigentes. Et quoniam res Poloniæ propter abuſum libertatis ſemper in deterius vergunt, nulla ſpes eſt illos Epiſcopatus aliqvando fore opulentos.

1900. De Miniſtris & Officialibus regni plura ridicula & erronea ſcribit. Nam etſi ſigilla regni maius & minus teneant alternatim ſpirituales & ſæculares, ſemper tamen unum ſigillum in manu ſpiritualis. Unde ſi Abbatiarum Commendæ concederentur propter perſonas ſpirituales ſigillum regni tenentes, ſive illi ſint Cancellarii, ſive Procancellarii, nullatenus ſequeretur eas Abbatias a Laicis eſſe poſſidendas.

Erroneum etiam eſt ſigillorum miniſteria conferri ſolere majoribus Epiſcopatibus: qvia id pluribus regni conſtitutionibus eſt prohibitum. Qvod vero allegatur de Varmienſi id fa-

ctum est ex dispensatione comitiali in favorem consangvinei Regis. Neque hæc ministeria reditus stabiles habent, aut ab aula aliquid accipiunt, ut scribit Procurator, si vero quid per discretionem pro sigillatione privilegiorum datur, id modicum est & in eorum Secretarios & scribas distribuitur. Nam extorqvere pro sordibus & emunctione habetur, qvod proinde generosi animi abhorrent.

Ioannes Gninski ex Palatino Culmensi factus Sacerdos, brevi spatio tenuit sigillum superveniente fato, fuit tamen nominatus a Rege ad Abbatiam Bledzovienſem

Secretarius Regni maior nullos omnino habet reditus ex officio suo. Referendarius non nisi forsan aliqua munuscula ex occasione judiciorum, quæ exercet inter subditos regalium bonorum, quæ tamen non adeo honesta & licita de iure censentur. Falsum etiam est hos officiales esse ad nutum Regis amovibiles: perpetui enim sunt ut cæteræ dignitates. Nec magis verum est qvod hæc officia pro arbitrio Regis Sæcularibus & Spiritualibus conferantur: nam Secretariatus maior regni semper soli spirituali confertur. Referendarii duo unus sæcularis alter Spiritualis semper. Ergo seqvelæ qvas ex suis imaginationibus erroneis formabat & formidabat Procurator, ruunt.

Crudum etiam id, qvod scribit, illos Officiales mere esse sæculares, regno non Ecclesiæ inservientes. Nam Ecclesia pro maximo deberet reputare beneficio & pretio omnium etiam Abbatiarum hoc privilegium, quod in suo ordine spirituali habeat illos Officiales & Ministros, qui plurima præstant Ecclesiæ & Religionibus obsequia, ac per hæc longe melius altari deserviunt, quam Abbates Monachi in Sylvis degendo otio & luxui vacando.

2omo. Conatur Procurator enervare motivum istud obtinendi Commendas, dum scribit, non solum Episcopis & memoratis Ministris, sed etiam nonnullis aulicis Prælatis commendatas esse plures Abbatias. R. Illi aulici sunt in gradu ad Episcopatus & ministeria, ad quæ se in aula disponunt: Quomodo e-

nim

nim illa digne obire addiscerent ruri degentes? Quomodo autem aulam sequi possent sine ullo adminiculo. Unde illi Prælati vere possent dici Episcopi & Ministri in actu signato, quia ad hoc designantur, & proxime accingendus pro accincto habetur. Deinde non unicum est illud motivum presse pro Episcopis & Officialibus Regni sublevandis. Sunt enim in Republ. alii Prælati, qui optime merentur de Regno & Ecclesia in tribunalibus Regni variis legationibus, commissionibus, aliisque publicis functionibus, quæ omnia magno indigent sumptu ac subsidio.

21mo. Redarguit nos Procurator qvod dissidentes illis motivis recurramus ad gratiam, sed ipsemet magis esset redarguendus. Quasi vero non licet varia tentare media ad finem obtinendum. Et melior est favor in iudice, quam lex in codice: ipsum cælum dicunt Theologi obtineri via gratiæ & iustitiæ.

22do. Scribit Procurator merita Sereniſſimi Regis Joannis aliter esse compensanda non per ruinam Ordinis Cistercienſis tam benemeriti.

℟. 1mo. Jam ostensum est Commendas non cessuras in ruinam, sed in maiorem utilitatem Monasteriorum. 2do. Hic ordo fuit quondam benemeritus, & ideo tam amplis ditatus bonis, sed postea incrassatus, impingvatus recalcitrat contra ipsum Regem D. & Patronum suum, & ideo per hæc maxime demeruit. 3tio. Seren. Rex nihil novi petit, sed suorum antecessorum vestigiis inhærens, desiderat penes id conservari quod eius antecessores pacifice possidebant. Solum in hoc ab eorum vestigiis decedit ac se demittit, dum petit tale privilegium, sine quo eius Antecessores re ipsa gaudebant, nominando ad Commendas quarumque Abbatiarum pro suo beneplacito sine renitentia Monachorum & cum admissione Sedis Apostolicæ. 4to Qvamvis certe tam ingentia merita non possunt digne ac modica consolatione remunerari; nihilominus videmus in aliis Regnis pro similibus similes elargiri solitas gratias, præsertim dum Rex

pientissimus & zelosissimus non in suum ullum emolumentum id derivare intendat, sed ita iudicans melius fore e re & commodo tam Ecclesiæ, quam Religionum. Nonne æqvum est deferre in hoc judicio Regis tam prudentis ac omnia quæ utilitatem, splendorem Ecclesiarum in Regno suo spectant clarius perspicientis quam hic Procurator, qui de Polonia ut de Tibure vel Tusculano disputat.

23tio, Scribit: In refutando motivo, proventus Commendarum utilius posse converti pro novis Religionibus ferventibus fundandis, non esse desudandum; Et merito, quia sudabit & algebit, nunquam illud refutabit. Vel unicum enim istud motivum esset sufficiens. Sic ille Paterfamilias in Evangelio vetus horreum destruit, ut novum melius ædificet. Colonos malos male perdit, & vineam suam locat aliis. Aufert a servo desidioso & dat eam diligenti. Ita ipsemet Christus minatur, Regnum Dei auferetur a vobis & dabitur genti facienti fructus eius. Quod considerantes multi Vicarii Christi quasdam Religiones suppresserunt & bona earum ad alios meliores usus converterunt.

24to Reformationes Monasteriorum per Commendatarios Abbates scribit non posse fieri. R. Non descendo in certamen rationum, quæ satis convincentes in memoriali adductæ sunt. Sed firmiter assero, qvod si commendatariis daretur re vera regimen Monachorum in Spiritualibus, multo melius gubernarent, quam titulares. Fundamentum asserti huius est præclara & generosa indoles eorum, quos deligit & nominat Rex, cuius etiam reverentia & adhortationes impellunt eos ad egregia facinora.

Sit in exemplum Petrus Rostkowski commendatarius Mogielnensis, qui impetrato speciali a S. Sede Apostolica rescripto pro regimine spirituali, mirabilia pro eorum reformatione & regulari observantia egit: Juniores Religiosos ad studia Philosophica & Theologica in Scholis publicis applicabat propriis sumptibus; Nuntium Apostolicum ad visitationem & correctionem Mona-

Monasterii ex commissione Apostolica magno sumptu conduxit; Religiosos quatuor pios & doctos ex Monasterio Lubinensi ad Mogielnensem induxit & fovit propter dandum suis exempla & institutionem; his post annum ad Monasterium eorum redeuntibus, conduxit ex Sieciechovienſi Patrem Kruszewiki in Monasterio Cassinensi diu exercitatum & probatum, ut tanquam Commissarius Apostolicus in Mogielnensi maneret & observantiæ regulari attenderet. Monasterium ipsum magnis expensis restauravit, bona & possessiones vindicavit, ædificiis, colonis, pecoribus refecit ad stuporem omnium: Quamvis solum per Sesquiannum illam Abbatiolam tenuissimorum proventuum possedisset,

Et Casimirus Szczuka Commendatarius Paradisienſis non absimilia in bonum & commodum Monasterii ac prædiorum egit, testatur id Ecclesia maior ara magnifice exstructa & deaurata, Sacristia variis pretiosis ornamentis instructa, Bibliotheca ac plura ædificia fabricata, inventaria pecorum & pecudum immensa comparata & relicta, onera & sæculari potestate bonis imposita, cura & sumptu eius sublata, visitationes Commissariorum frequenter per ipsum procuratæ; Priores exemplares imposiți; continua super mores & conversationem Religiosorum attendentia per fidos delegatos suos; subditorum quicunque hæretici in ditione Polona erant, ad fidem Catholicam cura & zelo eius conversio, quos olim Abbates titulares illa peste infici, & ad tempora huius Commendatarii in eadem perseverare permiserunt.

25to. Scribit nihil relevare, quod aliqua Monasteria fuerunt commendata; quia inquit ex multiplicitate absurdi, non tollitur absurdum. Respondetur: quid absurdius dici poterat, quam vicarios Christi arguere absurdorum commissorum.

26to. Scribit: posse quidem summum Pontificem absoluta potestate omnia quoad dispositionem beneficiorum, sed in ea exercenda respicit ad tria, ut sit secundum æquitatem, honesta-

tem, neceſſitatem, vel utilitatem, &. hæc ipſa ſunt fundamenta & motiva, quibus & ſummi Pontifices concedendo Commendas inſiſtebant, & Reges noſtri inſiſtunt. Quare uti Reges in ſuis nominationibus ſignanter enuntiant perſonam ab eis nominatam fore utilem Monaſteriis, ita & Pontifices Bullas ſuas pro Commendis hac conditione expediunt, ut deſignati Commendatarii ſint idonei, ut utiles illis Monaſteriis, idque commiſſariis Bullarum Executoribus iniungunt, ut examinent ſub nullitate provi-ſionum ſi aliter fuerit repertum. Unde, ſi Reges non haberent pro ſe fundationem, dotationem Monaſteriorum ac uſum continuum, illa ipſa æquitas, honeſtas, neceſſitas, utilitas ex Commendis provenientia, eſſent motiva ſufficientia ad eas concedendas.

27mo Adducit exemplum S. Ludovici exhorrentis ad privilegium ſibi datum ab Alexandro IV. pro Commendis. &. Id non mirum illo ſæculo, quo vita functus erat S. Bernardus inſtaurator Ciſtercienſis, dum illius Ordinis fervebant initia; quibus tamen non obſtantibus Papa Alexander IV. Vir piiſſimus, & Religionibus faventiſſimus privilegium illud pro Commendis ultro concedit S. Ludovico Regi, tum ob merita illius; tum quod id magis expedire in Domino judicaſſet; non ſatis forſan probans otioſam in Sylvis Ciſtercienſium vitam. Nam idem Pontifex Ordinem Eremitarum S. Auguſtini ipſius monitu ex eremo tranſtulit ad urbes, ut & ipſi verbo & exemplo & Confeſſionibus audiendis animas juvarent. Eodem motivo plurimos ex Religioſis Epiſcopos & Cardinales creavit, uti Chronica illius temporis teſtantur.

28vo. Scribit: Ciſtercienſes non tam propria quam Apoſtolicæ Sedis iura defendunt, ideoque merentur conſervari penes privilegia.

Reſpondetur 1mo, Nec Sedis Apoſtolicæ nec Religionis jura, ſed ſuum ambitum pauci faſtuoſi Religioſi defendunt, ut amotis Commendis ipſi ſe in Abbates creari procurent.

2do De-

2do Defendunt privilegia defunctorum Pontificum, at viventium restringunt potestatem, & fere claves eis eripiunt, dum eos non posse nec debere contrarium facere conclamant. Reges vero nostri uti sacros manes, & omnia acta & edicta mortuorum Pontificum & tanquam pro illis temporibus sancta & iusta vereantur, ita modernos sancte & pie Ecclesiam gubernantes mutatis rerum temporum & hominum circumstantiis posse iuste & licite imo aliquando debere multa diversa & contraria statuere & facere non dubitant ac velle eadem firmiter sperant.

## §. XVII.

Plura ex Zaluski Collectaneis repetere nolo; sed cum supra multifariorum munerum Officiorum publicorum in Polonia, quibus Senatores & Nuntii terrestres præsunt, mentionem inieci, existimo gratius fore lectori, ut *Indicem Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, Abbatum, Officialium maiorum in Senatu & minorum extra Senatum* confectum publici faciam iuris; quo Status publici splendor ex eo quadantenus cognosci possit. Graviter autem fero, quod melior & firmior non comparanda fuerit Notitia, cum Autor huius catalogi animum adtendit ad Annum 1726. quo indicta Grodnæ Comitia, spoponditque se alio tempore meliora edoctum, errores correcturum. Do tibi igitur L. B. in manum, prout hunc accepi indicem:

## I. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI.

1 Archiep. Gnesn. Prim. Reg. Abbas Tinecensis. Theodorus Potocki.
2 Archiep. Leopol. Joan. Skarbek.
3 Episcop. Cracov. Const. Felician. Szaniawski.
4 Episcop. Cuiav. & Pomerell. Christoph. Szembek.
5 Episcop. Vilnensis. Carol. Pancerzynski.
6 Episcop. Posnanienſis. Joa. Tarło.
7 Episcop. Plocensis. Andr. Załuski.
8 Episcop. Varmiensis. Christoph. Jo. Szembek.

9 Episcop.

9 Episcop. Luceorienſ. Steph, Rupniewſki.
10 Episcop. Premislav, Alex. Fredro.
11 Episcop, Samogit. Alex, Horain.
12 Episcop, Culmenſ. Fel. Kretkowſki.
13 Episcop. Chelmenſ. Jo. Fel. Szaniawſki.
14 Episcop. Camenecenſ. Stan, Ioſ. de Berdan Hoſius.
15 Episcop, Kijovienſ. Sam. Ozga.
16 Episcop. Smolensc. Bog. Corvinus Goſiewſki.
17 Episcop. Livonienſ, Aug. Weſſel.

## II. SECULARES SENATORES PALATINI.

1 Caſtell. Cracovienſ. Janus Wisniowiecki.
2 Palatin. Cracovienſ. Georg. Lubomirſki,
3 Palatin. Poſnanienſ. Vladisl. Radomicki.
4 Palatin. Vilnenſis. Lud. Conſt. Pociey,
5 Palatin. Sandomir. Stan. Morſztyn.
6 Caſtell, Vilnenſis. Caſim. Princeps Czartoryńſki.
7 Palatin. Caliſſenſ. Ludov. Szołdrſki.
8 Palatin. Trocenſ. Caſim. Oginſki.
9 Palatin. Siradienſ. Jo. Wielopolſki.
10 Caſtellan, Trocenſ. Jo. Fr. Sapieha.
11 Palatin. Lancicenſ. Warſzycki.
12 Capitan. Samogit, Caſ, Zaranek.
13 Palatin, Breſtenſ. Andr. Dambſki.
14 Palatin. Kijovienſ. Joſeph. Potocki.
15 Palatin. Inowloc. Joa. Radomicki,
16 Palatin. Ruſſ. Jo. Stan. Jabłonowſki,
17 Palatin. Volhyn, Mich, Potocki.
18 Palatin. Podol. Steph. Humiecki.
19 Palatin. Smolensc, Cetner.
20 Palatin. Lublin. Jo, Tarlo.
21 Palatin. Polocenſ, Stan. Dönhoff.
22 Palatin. Belzenſ. Potocki.
23 Palatin. Novogrod. Jo. Princeps Radzivil.
24 Palatin. Plocenſ. Franc. Załuſki.
25 Palatin. Witepſcenſ, Pociey.
26 Palatin, Maſov, Stan. Chomętowſki.

27 Palat.

| | |
|---|---|
| 27 Palatin. Podlach. | Severin. Rzewuſki. |
| 28 Palatin. Ravenſ. | And. Glębocki. |
| 29 Palatin Brieſcienſ. | Vladisl. Sapieha. |
| 30 Palatin. Culmenſ. | Franc. Bielinſki. |
| 31 Palatin. Mſcislavienſ. | Tyzenhauz. |
| 32 Palatin. Mariæburgenſ. | Petr. Prebendowſki. |
| 33 Palatin. Braclavienſ. | Iordan, |
| 34 Palatin. Pomerell. | Petr, Czapſki. |
| 35 Palatin. Minſcenſ. | Morsztyn. |
| 36 Palatin Livoniæ. | Grothauſen. |
| 37 Palatin. Czernichovienſ. | Ioſeph. Lubomirſki. |

## CASTELLANI MAJORES.

| | |
|---|---|
| 1 Poſnanienſ. | Vladisl. Radomicki. |
| 2 Sendomirienſ. | Ioſ. Vlad. Gonzaga Myſzkowſki. |
| 3 Caliſſenſ. | Raczynſki. |
| 4 Woynicenſ. | Dębinſki, |
| 5 Gneſnenſ. | Ad. Poninſki. |
| 6 Siradienſ. | Io. Tarnawſki. |
| 7 Lenczicenſ. | Io. Skrzynſki. |
| 8 Samogit. | Krzyſzpin. |
| 9 Breſtenſ. | Borucki. |
| 10 Kiiovienſ. | Caſp. Stecki. |
| 11 Inovladienſ. | |
| 12 Leopol. ſ. Lemberg. | Fredro. |
| 13 Volhynenſ. | Ioh. Cetner. |
| 14 Camenecenſ. | Mart. Kalinowſki. |
| 15 Smolenſcenſ. | Io. de Campo Scypion. |
| 16 Lublinenſ. | Tarło. |
| 17 Polocenſ. | Szemiota. |
| 18 Belzenſ. | Ioſeph. Sołtyk. |
| 19 Novogrodenſ. | Ant. Novoſielſki. |
| 20 Plocenſ. | Nic. Podoſki. |
| 21 Vitepscenſ. | Mart. Oginſki. |
| 22 Czirnenſ. | Caſp. Rudzinſki. |
| 23 Podlachienſ. | Koſakowſki. |
| 24 Ravenſ. | Wenc. Franc Trzcinſki. |
| 25 Brieſcienſis. | Neſtorowicz, |

| | | |
|---|---|---|
| 26 | Culmenſis. | Ioa. Kretkowſki. |
| 27 | Mścislavienſ. | Chriſtoph. Puzyna. |
| 28 | Elbingenſ. | Bagniewſki. |
| 29 | Braclavienſ. | Oborſki. |
| 30 | Gedanenſis. | Czapski. |
| 31 | Minſcenſ. | Wychowski. |
| 32 | Livonienſ. | Goski. |
| 33 | Czernichovienſ. | Io. Czretter. |

## CASTELLANI MINORES.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Sandecenſis. | Chwalibog. |
| 2 | Meſerecenſ. | Zychlinski. |
| 3 | Viſticenſ. | Kraſinski. |
| 4 | Binscenſ. | Struſs. |
| 5 | Rogozinenſ. | Procop. Lipski. |
| 6 | Rodomienſ. | Morzſtyn. |
| 7 | Zawichoſtenſ. | Steczkiewicz. |
| 8 | Lendenſ. | Rydzinski. |
| 9 | Szremienſ. | Melzynski. |
| 10 | Zarnovienſ. | Stempkowski. |
| 11 | Małogoſtenſ. | Ant. Czerminski. |
| 12 | Vielunenſ. | Siemianowski. |
| 13 | Premislav. | Nic. Sołtyk. |
| 14 | Halicenſ. | Ioh. Branicki. |
| 15 | Sancenſ. | Grabinski. |
| 16 | Chelmenſ. | Miączynski. |
| 17 | Dobrzynenſ. | Łochocki. |
| 18 | Polaniecenſ. | Kochanowski. |
| 19 | Premetenſ. | Nic. Skorazewski. |
| 20 | Kricinenſ. | Ominski |
| 21 | Czechovienſ. | Oſolinski. |
| 22 | Nactensc. | Krzycki. |
| 23 | Roſprzenſ. | Vlad. Biernacki. |
| 24 | Biechov. | Pawłowski. |
| 25 | Bidgoſtienſ. | Garczynski. |
| 26 | Brzezin. | Lękowski. |
| 27 | Krusvic. | Łącki. |
| 28 | Oſwiecimenſ. | Czerny. |

| | | |
|---|---|---|
| 29 | Camins. | Io. Kronkowski. |
| 30 | Spicimir. | Walewski. |
| 31 | Inovlocenſ. | Kwiatkowski. |
| 32 | Cowalowc. | Iaranowski. |
| 33 | Santocenſ. | Swięcicki. |
| 34 | Sochaczew. | Łuſzczewski. |
| 35 | Varſavienſ. | Weſſel. |
| 36 | Goſtinenſ. | Swidzinski. |
| 37 | Wiſnenſ. | Zalewski. |
| 38 | Racionſenſ. | Szydlowski. |
| 39 | Sierpſcens. | Moſtowski. |
| 40 | Wyſogrodenſ. | Karnkowski. |
| 41 | Ripinenſ. | Chartorewski. |
| 42 | Zacrolenſ. | Weſſel. |
| 43 | Ciechanov. | Kraſowski. |
| 44 | Liwenſ. | Cieciſzewski. |
| 45 | Slomcenſ. | Tarnowski. |
| 46 | Luboczevenſ. | Stadnicki. |
| 47 | Konarzevenſ. in Siradia. | Przerembski. |
| 48 | Konarzevenſ. in Lencz. | Swięcicki. |
| 49 | Konarzevenſ. in Cujav. | Łochocki. |

## MINISTRI STATUS ET OFFICIALES IN SENATU.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Supremus regni Mareſchallus. | Ioſeph. Vandalinus de Mogna Konczyc Mniſzek. |
| 2 | Supremus M. D. Lith. Mareſchallus. | Alex. Paul. Sapieha. |
| 3 | Supr. Regni Cancellarius. | Io. Seb. in Słupo Szembek. |
| 4 | Supr M. D. Lith. Cancellarius. | Princeps Mich. Korybuth Wisniowiecki. |
| 5 | Pro Cancellarius Regni. | Io. Lipski. |
| 6 | Pro Cancell. M. D. Lith. | Princeps Mich. in Clewan Czartorynski. |
| 7 | Supr. Theſaurarius Regni. | Io. Georg. in Prebendowo Prebędowski. |
| 8 | Supr. Theſaurarius M D Lith. | P. niatowski |
| 9 | Mareſchallus Curiæ Regni. | Stan. Chomętowski. |
| 10 | Mareſchallus Curiæ M. D. Lith. | Paul. Princeps de Sangurſzko. |

## CL. SENATORES,

## OFFICIALES EXTRA SENATU.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Secretarius Regni Maior Spiritualis. | Mart. Czaniawski. |
| 2 | Secretarius M. D. Lith. | Mich. Ancuta. |
| 3 | Reverendarius Regni Spiritualis. | Rozrazewski. |
| 4 | Reverendar. M. D. Lith. | Karp. |
| 5 | Reverend. Regni Secularis. | Iac. Dunin. |
| 6 | Referend. M. D. Lith. Secular. | Mart. Wolowicz. |
| 7 | Supremus Dux Exercitus Regni. | Severin Rzewuski. |
| 8 | Supremus Dux Exercitus M. D. Lith. | Lud. Conſt. Pociey. |
| 9 | Dux Campeſtris Regni. | Stan. Chomętowski. |
| 10 | Dux Camp. M. D. Lith. | Stan. Dönhoff. |
| 11 | Succamerarius Regni. | Chriſto. Towianski. |
| 12 | Succamerarius M. D. Lith. | Bog Ern. Dönhoff. |
| 13 | Theſaurarius Curiæ Regni. | Max. Oſſolinski. |
| 14 | Theſaurarius Curiæ M. D. Lith. | Sapieha. |
| 15 | Vexillifer Regni | Ioa. Branicki. |
| 16 | Vexillifer M. D. Lith. | Ioh. Czartorynſki. |
| 17 | Enſifer Regni. | Konski. |
| 18 | Enſifer M. D. Lith. | Princeps Radziwil. |
| 19 | Præfectus ſtabuli Regni. | Dziduſzycki |
| 20 | Præfectus ſtabuli M. D. Lith. | Iac. Henr. Comes de Flemming. |
| 21 | Præfectus culinæ Regni. | Lubomirski. |
| 22 | Præfectus culinæ M. D. Lith. | Carol. Załuski. |
| 23 | Pocillator Regni. | Sever. Rzewuski. |
| 24 | Pocillator M. D. Lith. | Doenhoff. |
| 25 | Inciſor Regni. | Henr. Prebendowski. |
| 26 | Inciſor M. D. Lith. | Radziwil. |
| 27 | Dapifer Regni. | Alex. Caſ. Szembek. |
| 28 | Dapifer M. D. Lith. | Georg. Sapieha. |
| 29 | Subdapifer Regni. | Lubinski. |
| 30 | Subdapifer M. D. Lith. | |
| 31 | Pincerna Regni. | Bielinski. |
| 32 | Pincerna M. D. Lith. | Szczys. |
| 33 | Notarius Campeſtris Regni. | Mich. Potocki. |
| 34 | Notarius Campeſtris M. D. Lith. | Mich. Franc. Sapieha. |
| 35 | Generalis Artilleriæ Regni. | Konski. |

36 Gene-

| | | |
|---|---|---|
| 36 | Generalis Artilleriæ M. D. Lith. | Casim. Sapieha. |
| 37 | Præfectus Castrorum Regni. | Georg. Lubomirski. |
| 38 | Præfectus Castrorum M. D. Lith. | Ant. Pociey. |
| 39 | Præfectus vigiliarum Regni. | Ioseph. Potocki. |
| 40 | Præfectus vigiliarum M. D. Lith. | Stan. Potocki. |
| 41 | Notarius Regni. | |
| 42 | Notarius M. D. Lith. | |
| 43 | Notarius Decretorum Cancellariæ Regni. | Seb. Rybczynski. |
| 44 | Notarius Decretorum Cancellariæ M. D. Lith. | |
| 45 | Venator Regni. | Zamoyski. |
| 46 | Venator M. D. Lith. | Sollokul. |
| 47 | Vexillifer Curiæ Regni. | Io. Branicki. |
| 48 | Vexillifer Curiæ M. D. Lith. | Pakocz. |
| 49 | VicePræfectus stabuli Regni. | Wlad. Poninski. |
| 50 | VicePræfectus stabuli M. D. Lith. | Car. Wyzycki. |
| 51 | Regens Cancellar. Regni Major. | Dębowski. |
| 52 | Regens Cancell. M. D. Lith. maior. | Wyzycki. |
| 53 | Regens Cancellariæ Regni minor. | |
| 54 | Regens Cancellariæ M. D. Lith. minor. | |
| 55 | Instigator Regni. | Vladisl. Wyrozembski. |
| 56 | Instigator M. D. Lith. | Casim. Krolikowski. |
| 57 | Vice Instigator. | Derengawski. |

## ABBATES.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Peplinensis. | Czapski. |
| 2 | Coronovienſis | |
| 3 | Lubinenſis. | |
| 4 | Paradiſienſis. | |
| 5 | Præmetenſis. | |
| 6 | Sieciechovienſis. | Manteuffel. |
| 7 | Claræ Tumbæ. | |
| 8 | Czervenſis. | Stan. Ioh. de Berdan Hoſius. |
| 9 | Copriunicenſis. | |
| 10 | Tremezenſis. | |

11 Wąchocenſis.
12 Hebdovienſis.
13 Tynecenſis. Theod. Potocki.
14 Andreiovienſis. Aug Weſlel.
15 Mogilnicenſis. Stan. Szembek.
16 Sulejovienſis.
17 Sanctæ Crucis.
18 Bledzowienſis.
19 Vitovienſis.
20 Węgrovecenſis.
21 Obrenſis.
22 Olivenſis. Załuski.
23 Ladenſis.

## CAPITANEI & STAROSTÆ.

1 Krakowski. Io. Wielopolski.
2 Ctemski Sev. Rzewuski.
3 Winnicki. Kalinowski.
4 Chowski. Dębinski.
5 Przyluski. Oſſolinski.
6 Oſtorski. Woronitz.
7 Sendomirski. Oſſolinski.
8 Plocki. Paul. Iaroſzewski.
9 Wiski. Guzga.
10 Wyſzogrodzki. Mich. Szymanowski.
11 Ciechanowski. Nakwaski.
12 Rozanski. Przeradowski.
13 Sochaczowski. Fab. Szaniawski.
14 Drohinki. Oſſolinski.
15 Gobinski. Szczawinski.
16 Przemyski. Radziwil.
17 Oſzmianski. Zienowicz.
18 Lidski. Ioſ. de Campo Scypion.
19 Wilkomirski. Strutinski.
20 Mścisławski. Lendorff.
21 Mozyrski. Oskirka.
22 Gorzdowski. Ogieski.

23 Wol-

23 Wolpinski.
24 Similiski.
25 Tzyski.
26 Feydanski.
27 Medycki.
28 Iasielski.
29 Radomski
30 Drohobycki.
31 Dorinski.
32 Biecki.
33 Radoszycki.
34 Graudentinens.
35 Christburgens.
36 Tolkomitens.
37 Mariæburgens.
38 Kowalienſ.
39 Stumenſis.
40 Radzinenſ.
41 Lipinenſ.
42 Golubenſis.

Caſ. Sapieha.
Zawiſza.
Puzyna.
Woleowicz

Io. Tarlo.

Stan. Chomętowski.

Al. Caſ. Szembek.
Iac. Dunin.
Io Szembek.
Petr. Prebędowski.
Bielinski.

Bielinski.
Szembek.

## §. XVIII.

Ad nectо denique Domini de Finch, Regis magnæ Britanniæ Legati, Orationem Ratisbonæ habitam, quæ usque adeo Polonorum provocavit iracundiam, ut, quemadmodum in §. 4. dictum, eam ad calumniam comburi voluerint. Cum vero gallico Sermone usus sit Dom. de Finch, priorem locum occupabit archetypus, posteriorem versio latina.

Diſcours

# Discours de Monſ. Finch, Miniſtre de SaMajeſté Britannique à Ratisbone tenu aux Miniſtres du Corps Evangelique.

EN conformité des Inſtructions de mon Maitre le Roy de la Grande Bretagne j'eus hier l'honneur de Vous communiquer par mon Secretaire les ordres, dont il a plu à Sa Majeſté de m'honorer, pour me rendre inceſſamment auprés de Sa Majeſté le Roy de Pologne. Le Roy mon Maître, comme Prince Proteſtant, ne voulant en aucune occaſion ſe diſpenſer de donner des preuves convaincantes du grand cas, qu'il fait, & de l'attention, qu'il a pour un Corps ſi illuſtre & ſi reſpectable, que l'Evangelique. Les extremites, aux quelles les affaires de Thoren ont été portées contre cette ville par les conſeils temeraires, pour me ſervir d'une expreſſion tres douce, des ennemis jurés & declarés de nôtre ſainte foy, ſont trop recentes, pour quel' on puiſſe me reprocher, que je veuille reveiller le ſouvenir d'une ſcene ſi tragique, ſi barbare & ſi funeſte, & laquelle pour l'honneur de ceux, qui en ſont les autheurs, & qui ont tres mal ſervi leur Maître & leur Patrie, devroit étre enſevelie dans un oubli eternel. La conſcience du Roy mon Maître, comme Prince Proteſtant, & Defenſeur de la Foy, Son honneur, comme Guarant du Traité d' Olive, Traité auſſi ſolemnel, que l'Hiſtoire ne ſcauroit nous donner un exemple d'un autre, qui áit reçû la Sanction de tant de Rois & de tant de Puiſſances, l'obligent, de prendre part aux Infractions inouies, que l'on vient d'y faire. Et de plus la Clemence, la Juſtice & l'Equité de Sa Majeſté Britannique ſont trop connues dans le monde, pour croire, qu' Elle ne pourroit pas compatir du fond de ſon ame à la mort

la mort aussi tragique qu'injuste de tant d'innocents ; & selon les forces, qu'il a plû à la Providence Divine de Luy confier pour le Bien de la Grande Bretagne, pour le Soulagement des opprimés, comme aussi pour la paix & tranquilité de l'Europe. Le Roy mon Maître ne peut se dispenser, de tenter primierement toutes les voyes de la douceur par les representations les plus efficaces en faveur de ceux, que le carnage assouvi a encore laissé survivre à leurs Confreres, pour leur reconvrer la liberté bouleversée, les Eglises profanées, les Ecoles enlevées, les Biens confisqués & le rappel & le retour des Exilés, contre la foy des Pactes stipulés, même avec l'Invocation de la tres sainte & bien heureuse Trinité, & cela pour nul autre crime, que celui d'avoir voulu faire leur salut selon la parole de Dieu & les lumieres de leur conscience. Car il est averé, que de ces pauvres gens il y en a eu, qui meritent la qualité de Martyrs á d'autant plus juste titre qu'ils auroient pû sauver leur vie, s'lis avoient voulu sacrifier leur Religion.

Les mesures donc, que le Roy, mon Maître, prendra dans cette affaire ne seront autres, que celles qui Lui sont dictées par sa conscience, par son honneur, par ses sentiments d'humanité, & qui seront suffisantes, pour calmer l'esprit de toute la Nation Angloise, qui d'une voix unanime crie oû Justice oû Vengeance, & á l'heure, que nous parlons, Messieurs, je ne doute point, que l'affaire de Thoren n'ait êté portée au Parlement, ce qui attirera de sa part les remerciéments les plus sinceres, & les assurances les plus vives, de soutenir Sa Majesté dans toutes les resolutions, qu'Elle jugera convenables avec la derniere goute de leur sang & le dernier denier de leur bourse.

Je n'ay pas, Messieurs, besoin, d'emprunter le sécours de l'Eloquence, pour exciter vos passions, ou animer Vôtre ressentiment, puisque j'ay été témoin avec une tres grande satisfaction des expressions, pleintes de douleur & d'indignation, dont vous vous étés servis, pour montrer l'horreur & la detestation, que vous ressentiés, quant cette tragique nouvelle nous fut annoncée. Et veritablement la tragedie de Thoren, écrite en

tant de lettres de ſang, que pouvoit pas manquer de faire une impreſſion la plus profonde & la plus durable ſur le cœur de chaque bon Proteſtant, comme l'Epée meurtriere, qui a tranché la téte à tant d'Innocents, y laiſſera des cicatrices eternelles. Je ſuis perſuadé que le parti, que le Roy mon Maître a pris, de mettre tout en œuvre, par rapport aux affaires de Thoren, pour que les Proteſtants ſoient remis & rétablis dans leurs anciens privileges & les nouvelles marques éclatantes, qu'il donne par là de ſon Zele pour nôtre ſainte Religion, lequel redouble à meſure, que le danger, & même l'aneantiſſement la menacent, vous ſera la matiere d'une joye parfaite, à moins que l'incapacité & le peu d'experience de la perſonne, que Sa Majeſté a choiſi pour une Commiſſion auſſi epineuſe, qu'elle eſt importante, ne la diminuent.

Mais j'eſpere, que la grace du Seigneur m'éclairera, & que ſa main me conduira dans tout ce que je feray pour la defenſe de la Parole, qu'il a preché Luy même, & pour laquelle les Proteſtants de Thoren viennent de ſouffrir. J'oſe même me flatter, que l'autorité d'un auſſi Grand & auſſi Puiſſant Roy, qui me fait parler, & la juſtice de cette cauſe, qui n'a pas beſoin d'être miſe dans un plus grand jour, pourront en quelque maniére ſupplëer à mes defauts.

J'eſpere, Meſſieurs, que vous rendrez conte à vos Maîtres de ce, que j'ay eu l'honneur de vous annoncer de la part du mien, afin que toute l'Europe ſoit convaincuë que touts les Proteſtants agiſſent veritablement de concert. La meilleure marque du bon ſuccés de ma Commiſſion ſera d'avoir l'honneur, de vous rejoindre bientot, pour vous marquer en toutes occaſions mon attachement pour la cauſe commune, & la grande conſideration & egard que j'aurois toûiours pour vos perſonnes.

Oratio Domini de FINCH Regis magnæ Brittanniæ legati,

qua

Anno 1725. die 7. Febr. Ratisbonæ legatos proteſtantium Principum, ipſum convenientes, ante abitum Dreſdam, excepit. TIT.

Dicto

Dicto Regi Magnæ Brittanniæ, clementissimo meo Domino, dum fui obediens heri maximam cepi voluptatem, quod per Secretarium meum potuerim communicare vobiscum S. R. M. mandatum, ut sine mora ad aulam Regiam Polonicam me conferrem; quippe Rex meus inter Principes Protestantes non postremum habens locum, nullam prætermittere vult occasionem testimonia edendi observantiæ & benevolentiæ suæ erga Illustrissimum & gravissimum Corpus Evangelicum. Fatale Discrimen, in quod Thorunenſium res temeraria ſententia [ne duriori verbo utar) juratorum & haut obſcurorum hoſtium noſtræ Sanctæ fidei deductæ ſunt, adeo recens eſt, ut objici nullo mihi poſſit modo, me tantum laborare ut memoriam hujus refricem tam lugubris, barbaricæ & infeliciſſimæ Tragœdiæ, quippe quæ potius propter dignitates illorum, qui eam præſentarunt patriæque ſuæ peſſime hac ipſa conſuluerunt, æternæ tradenda oblivioni. Verum enim vero Conſcientia Regis mei & Domini, qui Princeps Proteſtans & Defenſor eſt fidei, ut & dignitas atque authoritas tanquam fidejuſſoris pro Pace Olivenſi [quæ profecto adeo ſolennis fuit, ut Hiſtoria nullum exemplum pacis tanto Principum conſenſu & adprobatione ſanctæ allegare poſſit) devinciunt eundem, ut ad animum revocet omnia injuſta conamina Polonorum hanc infringendi pacem.

Præterea Magnæ Brittaniæ Regis ingenita Clementia Juſtitia & Æquitas univerſo orbi usque adeo innotuerunt, ut nemo dubitare poſſit, quin cædes injuſta & luctuoſa tot innocentium hominum ad maximam ipſum commoverit miſerationem. Non poteſt igitur non Rex meus Potentiſſimus, quin pro viribus, quas divina providentia conceſſit eidem non ſolum ad ſalutem tuendam Regni ſui, ſed etiam in ſolatium oppreſſorum, & conſervationem tranquillitatis publicæ in Europa, initio omnia tentet mitiora media eademque proponi curet ad incolumitatem eorum, quos cædi ſuorum crudeli ſupereſſe voluit Deus, quo everſa funditus libertas, prophanata templa, ſurreptæ Scholæ, & bona publicata reddantur, & in exilium proturbati reſtituantur; cum hæc & alia ſint acta contra fidem pactorum, quæ & invocatione SS. Trinitatis facta; nec ob crimina vel aliam cauſam, quam quod miſeri homines ſalutis ſuæ habere voluerint rationem juxta lumen verbi divini & conſcientiæ. Notum enim eſt quam quod notiſſimum, trucidatos Thorunenſes mereri titulum Martyrum, quod facili negotio conſervare vitam potuiſſent, ſi ejurare voluiſſent (exemplo apoſtatae Hyderi,

deri, incitoris & ducis tumultus ] religionem suam & Romanæ se devovere fidei. Quæ cum ita sint nulla alia Rex & Dominus meus capiet consilia, quam quæ ipsi Conscientia, dignitas & propensus animus ad clementiam suppeditant, sufficientque dolorem ad totius anglicæ nationis leniendum, quæ uno ore exclamat: Aut Justitia aut vindicta exerceatur!

Hocque ipso tempore, quo vobiscum loquor, certo persvasus sum Thorunense negotium cum Parlamento magnæ Brittanniæ esse communicatum; hinc quamprimum id factum, res ipsa docebit, quod & gratias sit acturum & adfirmaturum sancte, se omnia consilia & conatus S. R. M. adjuvare velle vel cum profusione sangvinis & fortunarum tantum non omnium. Non est necesse, ut ex intima arte oratoria depromam argumenta, ad animos vestros movendum. Maxima enim cum voluptate testimonium edere possum de doloris & luctus plenissimis verbis vestris, quæ fecistis, cum hic tristissimus nuntius ad nos pervenit. Et profecto Thorunensis tragœdia adeo sangvineis litteris est tradita memoriæ, ut necesse sit ea in omnium Protestantium animos penetret eo modo, quo carnificis gladius, quo tot innocentes decollati sunt, lethifera inflixit vulnera. Quamobrem certo certius persvasus sum, quod optimæ partes, quas Rex & Dominus meus hoc in negotio sequitur, omnem adhibiturae sint diligentiam, quo protestantibus pristina vindicetur libertas eademque corroboretur, quin imo nova Documenta, quæ S. R. M. de Zelo pro conservanda sanctissima nostra religione facit manifesta, quique in dies eo majora capit incrementa, quo majus periculum imminet eidem, nisi certior interitus, Vos sitis adprobaturi liberalissime: exigua dummodo experientia mea expediendi negotia ardua, qua S. R. M. hoc in delicato negotio uti decrevit, vestram non diminuerit opinionem. Spero interim firmissime, Divinam Clementiam me esse illustraturam ejusque manum me ducturam in omnibus, quæ ad defensionem verbi sui & cuius causa Thorunenses Protestantes oppressi sunt, acturus ac conaturus sum. Simulatque confido fore, ut auctoritas tanti & tam potentis Regis, qui iussit ut loquerer, nec non Justitia causæ, quæ clarius & illustrius exponi non potest quam hactenus factum, exparte meam sint sustenturae infirmitatem. Neque tandem dubito, quin vos Principes vestros omnium, quae vobis proponere potuisse mihi honori duco, sitis reddituri participes, quo totæ Europae persvadeatur, omnes protestantes vere & unanimiter hanc agere causam. Cetera optimum signum felicis expeditionis

*peditionis erit hoc, si propediem ad Vos redire, omnique data occasione officia mea hoc in negotio praestare grata, nec non summam observantiam erga vos meam & cultum, quo vos prosequor, testificari potero.*

§. XIX.

Possem equidem ad finem properans Prætensiones Monachorum Thorunensium Bernhardini Ordinis enarrando illustrare ea, quorum in §. 4. pag. 7. est facta mentio, cum Principis Lubomirski Propositio & Commendatio proposita: nec non qui sensus sic verborum eod. §. pag. 14. factorum seq.: *In Sessione XXVII. proferebat Regni Succamerarius Princeps Lubomirski aliud scriptum, cujus titulus: Projectum approbationis fundationis Patrum Bernhardinorum Thorunensium*, ut & §. 6. pag. 21. *Speciatim de approbatione Privilegiorum & fundationis Bernhardinorum Thorunensium; quae vero & alia per Recessum ad futura Comitia reiecta sunt.* Sed nolo crabrones irritare: Credo interea, qvod oppressa urbs Thorunium solo calamo & probatione sibi vim inferri, non plus boni consecurata sit, quam Anno 1667. quo Templum S. Jacobo Sacrum, illi eripiebatur: de quibus rebus copiosus fui in scripto, cui præfixus titulus: Memoranda Thorunensia. In præsenti refero tantum, quod tradant Monachi fuisse Ducem Pomeraniæ Ratiborium Thorunii Commendatorem, & Conditorem cœnobi sui, reditusque quosdam amplos etsi eidem donasse atque legasse; Sigismundum I. vero Regem Polon. post trecentos annos hanc donationem vel dotationem singulari privilegio confirmasse, & auxisse pro liberalitate sua ex alieno, huiusque copiam forte fortuna in Vladislaviensi Archivo esse inventam. Dicunt, Ferunt, Perhibent. Doleo PP. Bernhardinorum Thorunensium Sanctimoniam & ingenuitatem, quam præ se ferunt, hoc ipso privilegio reddi adeo suspectam, ut qvivis Polonus, non abreptus studio Thorunensibus nocendi, judicaturus sit, ficta & falsa esse omnia, quæ monachi Principi Lubomirski & Nuntiis Terestribus insusarrarunt in novissimis Comitiis Grodnæ celebratis.

Quem enim fugit quam sancta esse debeant privilegia & ab omni suspicione procul remota, usque adeo, ut si vel minimis in circumstantiis apertæ falsitatis vel suspectæ fidei argui

possint, omnis eorum valor evanescat & auctoritas. Hinc omnes inter gentes & speciatim in Polonia est usu receptum non solum, sed etiam Jus Gentium & Publicum idem postulat, ut si privilegia vetustissima per confirmationem renovari debeant & vindicari, eorundem ipsa verba, cuiuscunque sint lingvæ, repetantur, quo pars utraque & de auctore & tempore, quo datum, possit esse secura, & securior, nihil esse additum vel detractum; cum privilegia his prodesse, illis obesse soleant, adeoque de iure vel iniuria agatur. Provoco omnes polonos, ut vel unicum exemplum proferant in medium, quo doceant, Reges Poloniæ confirmasse privilegia antiqua sine repetitione verborum authenticorum. Ergo palam est, qnod privilegium confirmationis Sigismundi I. quo nituntur Monachi, sit illegitimum & suspectum; cum Ratiborii vetustissimum documentum Fundationis & Dotationis non legatur repetitum, neque latino neque germanico idiomate, quo tamen posteriori usum esse Ratiborium, germanum principem, nemo dubitabit. Quamobrem porro infero, cum nullus polonicorum vel prussicorum scriptorum reliquerit memoriæ, quod Ratiborius Commendator Thorunensis, nedum conditor cœnobii, ad templum St. Mariæ siti, fuerit, sed constans omnium sit tradito, qvod hæc pietas Magistro provinciæ Ordinis Theutonici in Prussia Ottoni ab Osternau sit tribuenda, fictum esse, quod a monachis traditur sola autoritate privilegii confirmationis. Accedit quod documentis evinci non possit, ullum cœnobium in Prussia a commendatoribus esse fundatum & dodatum; & Cromerus, nec non Neugebauer, qui eum exscripsit, aperte scribunt, Sigismundum I, illo tempore, quo subscriptum esse Privilegium Confirmationis perhibetur, fuisse in Lithuania & non Cracoviæ. Qvin imo magnopere mirandum est, quod demum Anno 1658. quo Thorunium a Rege Poloniæ Johanne Casimiro obsidione cingebatur, Actis Judicii Castrensis Inowladiensis hoc documentum exhibuerint; nisi forte, quod crediderunt Regem Casimirum post expugnationem adempturum esse Thorunensibus Templum cum cœnobio, cuius tamen potius possessionem illis privilegio singulari confirmavit. Et si quo-

que

que concederem omnia esse sine fuco, nunquam tamen probabunt monachi, quod Thorunenses secundum Sigismundi I. voluntatem ea illis dederint, quæ in privilegio postulantur : cum iure publico poloniæ & prussiæ sit evictum, quod Reges poloniæ civitatum liberarum juribus nec derogare, nec iis pro arbitratu nova imponere possint tributa Monachis solvenda ; multo minus adserent, ante tempora Sigismundi hæc eadem præstitisse Thorunium. Quæ cum ita sunt ingredior in eam opinionem, quod Privilegium hoc confirmationis habeat auctorem *Christophorum Janikowski*, famosum diplomatum veterum inventorem fortuitum & privilegiorum vel potius doli fabricatorem infamem, contra quem ipsa inclyta Respublica Polonica sibi prospexit Anno 1649. in Comitiis Coronationis, his verbis : *Do ktorego tez Seymu [przyszlego Walnego) suspenduiemy Dekreta wszytkie occasione Przywileiow na Janikowskim otrzymane, ktorych* privilegiorum cognitionem *na tymze uczyniemy Seymie.*

Vid. Constitutio Regni in Comitiis Coronationis Joannis Casimiri Anno 1649. Tit. Recess. fol. 20. & Joach. Pastorius Part. I. Histor. Polon. Plenioris L. V. p. 273. 274. Eiusdem Christophori Janikowski fraudes quomodo in Inquisitione Gedanensi Anno 1647. sint detectæ, patet ex iis, quæ Cornelius Wrigt, Elias Kretschmer aliique complices sunt confessi, & de quibus omnibus in Castro Skarszeviensi d. 18. Sept. 1647. Acta exstant. Imo quid Prussi de eius fallaciis senserint, cognoscitur ex sequentibus : Laudum inquisitionis futuro in conventu instituendæ de falsis a Christophoro Janikowski fabricatis Privilegiis Nos Status & Ordines &c. Quod postquam compertum nobis hactenus & in præsenti Conventu ex productione plurimorum Privilegiorum a Nobili olim Christophoro Janikowski repertorum quasi ac passim distributorum, ocularitер ostensum evidentissimisque rationibus ac manifestis deductionibus magni nominis perspectæque in hisce terris fidei personarum satis comprobatum sit, Privilegia ista a prædicto Janikowski sparsa, falsitatis suspecta & suppositicia esse ; ideo hoc ipsum præsentibus ad præcavendas fraudes attestari, posteritatique consulere volentes

tes, pleniorem istius negotii, quod in primis Terras hasce afficit, inquisitionem, non derogando tamen inquisitioni autorum ac complicum criminis falsi, nobis in posterum reservamus, ad præsens vero certas ad id personas deputamus, ex Equestris Ordinis Consiliariis Illustrissimum & Magnificum Dominum Stanislaum Kobierzycki Castellanum Gedanensem, ex Civilis vero Ordinis Consiliariis, quos Civitates nominaverint ac deputaverint. Huic quoque negotio perveſtigando intererunt ex Palatinatu Culmensi Generosus Ignatius Barkowski, ex Palatinatu Mariæburgensi Generosus Joannes von Felden Zakrzewski Vexillifer Mariæburgensis, ex Palatinatu Pomeraniæ Generosus Ernestus Krakowski Judex Terrestris Pucensis: Qui prout in proximo Conventu in totum illud negotium inquirent, nobisque prout illud compererint, vicissim referent, Nos vero quicquid ea in parte e re ac usu futurum videbitur, in eodem porro certi aliquid statuemus in quorum fidem &c. Datum Mariæburgi in Conventu Generali ante Convocationem Regni die 25. mens. Jun. Anno 1648. Locus Sigilli Terrarum Prussiæ.

Qua ex re factum esse arbitror, quod in *Metrica Regni*, ut loquimur, sive in Indice & Repertorio omnium Privilegiorum a regibus Poloniæ concessorum, hoc suppositicium non reperiatur, neque ullibi eius fiat mentio. Verum enim vero, ut supra dictum, summi Magistri Ordinis Teutonici Kœnigii Privilegium donationis satis valebat Anno 1667. ad auferendum civibus Thorunensibus Templum S. Jacobi in nova civitate, licet iste Kœnigius tempore conscripti diplomatis neque Magister, neque sanæ mentis fuerit; Sigillum non appensum; Regum Poloniæ privilegia recentiora Thorunensibus concessa derogarent vetustioribus; eademque per Pacta Olivienſia pacifera An. 1660. solenniſſime fuerint confirmata & corroborata. Non memini me legere vel audire causas, quibus motus Princeps Lubomirski, præsens Palatinatus Cracovienſis, ab urbe Thorunio adeo abalienatus sit. Si venit quidem in mentem, quod id forte propter impium Carmen, quo *Carnificum Princeps* salutatur, fiat; sed incidit contra, quod quidam ad me literas miserit olim, quibus cognovi

gnovi hoc ignominiosum Carmen ex Senatus Consulto Thorunii publico in rogo a Carnifice esse combustum, An. 1725. d. 18. Febr. Principemque Lubomirski Magistratui gratias ex eo egisse per epistolam. Quodsi propterea illum gratum esse crederet quis, quod propter Executionem Thorunensem hæc & alia opprobria divulgata typisque exscripta perpessus sit, secum perpendens, quod litera scripta maneat, autorque carminis solatii loco legerit clarissimi THOMASII Icti Hallensis, libellum, quem cum quæ contra Doctorem Masium scripserat publice Hasniæ comburerentur, ediderat præfixo titulo: *Solatium honesti viri, cujus scripta per Carnificem comburuntur*; illi responderem, quod nunquam de tanto Principe ne cogitando quidem persvadere mihi possem, quod propter crimina exterorum innocentem civitatem Thorunienſem odio sit prosecuturus, quippe certo certius credo, omnes ac singulos cives Thorunenses incolasque jurejurando se purgare posse. Nihilominus est factum, ut nova testimonia abalienati animi post Comitia noviſſima Anno 1727. ediderit. Duo quippe pueri Evangelici, alter decem, alter tredecim annos natus, pro puerili petulantia & Inadvertentia, ad templum S. Mariæ ludentes, vires explorare cupiebant, quis altius lapillos posset projicere; Accidit forte, ut involarint iidem in feneſtras templi damnumque intulerint leve. Monachi indignitatem rei non ferentes ad Burggrabium S. R. M. romanæ suæ fidei addictum querelas deferunt, impetrantque sententiam, quod puero X. annorum viginti plagæ, tredecim annos nato triginta infligi, parentes vero exemplo resarcire damnum debeant. Cui sententiæ qvoque est satisfactum ex asse. Monachi autem hac non contenti satisfactione ad principem Lubomirski literas miserunt, quibus graviter de Thorunensibus sunt questi novumque tumultum fuisse ab iisdem intentum criminantes, omniaque in maius extollentes, quin imo falsissima narrantes usque adeo Principem moverunt, ut stomachosam minarumque plenam epistolam ad Magistratum Thorunensem exaraverit, tantum non generalem expeditionem bellicam vulgo Pospolite Ruzenie, comminatus: cuius epistolæ polonice scriptæ exemplum alio tempore habebit

Lector, Magistratus ei respondens nihil omisit, quod ad veras facti pueilis circumstantias, & emolliendum animum Principis pertinet, ipsique Burggrabius Dn: Skomorowski Sententiæ suæ justitiam defendit, una cum teste Dn. Consule Rubinkowski. Has quo animo acceperit literas Princeps nescio; compertum tamen habeo Monachos nudipedales, quo nobilitatem polonicam & prussicam in Thorunium Civitatem incitarent, post hæc Protestationem, ut loquimur, insinuari curasse, quod insolitam numerum doliorum peregrinæ cerevisiæ plenorum sine contributione convehi a Monachis *vendique clanculum maximo cum damno civium concedere recusat Magistratus.* Tandem cum pag. 8. §. 4. Nuntii terrestris Domini Wilkowski quoque iniecta est mentio, nemo nescit, quod una cum Principe Lubomirski Commissarius ad Executionem Thorunensem fuerit, qualemque in domo beati Præsidis Rœsneri, cum repertorium s. Inventarium facerent, se gesserit, qvivis in Lilienthalii, Tragœdia Thorunensi sive Prussiæ illustratæ Tomo III. pag. 160. legere potest. Sic Historicus Regiomontanus magnæ famæ scripsit: *Torro occupati erant capite plexi Praesidis Rœsneri per Decretum fisco adscripta bona praesentibus Commissariis quibusdam consignare: Tres Commissarii erant Adam Wilkowski, Anton Tripolski & Lopacki, licet pro studio & labore assedendi florenos 2100. pruss. pacti essent, tamen praeter hanc summam paratae pecuniae in memoriam Rœsneri multifaria & praetiosa mobilia, quorum magnum apparatum reliquerat Dominus Rœsnerus e. g. vasa argentea, annulos aureos, horologia, mitras dormitorias, serica muccinea etc. extorquebant. Certum quoque pretium statuebant suppellectili, e. g. Speculis, imaginibus, phaleris orbibus ferratis, sellis, Scriniis, libris (inter quos Atlas, ut vocant erat) linteis vestibus, stratis, cupreis, stanneis, aurichalceis & myrrhinis s. porcellanis vasis &c. mittebant in hospitia sua, nullam vero pecuniam remittebant in domum defuncti. In postremum singuli eorum cantharum argenteum & inauratum secum deportabant.*

S. D. G.

(o)